BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
7 G
7

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

+
Coriack
De absolut.
7.f.
1.
22

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RESPONSIO AD DISSERTATIONEM IMPVGNANTEM abſolutionem moribundi ſenſibus deſtituti:

Addita explicatione duorum dubiorum, circa miniſtrum Sacramenti Matrimonij, & diſſolutionem eiuſdem per conuerſionem alterius coniugis ad fidem.

Auctore ÆGIDIO DE CONINCK Societ. IESV, S. Theolog. Profeſſore.

Coll. Rom. Soc. Iesu.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

ANTVERPIÆ
Ex Officina MARTINI NVTII.
ANNO M. DC. XXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Beneuolo Lectori.

CVM tractatus quem de Sacramentis ſcripſi, Antuerpiæ iam tertiò excuderetur; miſſus ad me eſt libellus impreſſus Duaci, in quo continebantur duæ diſſertationes à duobus diuerſis auctoribus conſcriptæ: quibus impugnabatur ſententia, quę dicit licitè quandoque abſentem per litteras aut nuntium cõfeſſum ſacramentaliter abſolui. Prior præterea acriter oppugnabat ſententiam quam in dicto tractatu tom.2.diſp.7.dub.10.cum multis alijs docui; ſcilicet moribundum oſtendentem ſigna doloris de peccatis ſuis, & pe-

Digitized by Google

tentem confeſſarium cui confiteatur; qui,antequam hic ſuperueniat, vi morbi oppreſſus omnem omnino ſenſum amittit; poſtea à ſuperueniente ſacerdote poſſe ac debere ſacramentaliter abſolui,ſi præſentes teſtentur eum ea ſigna dediſſe, ac confiteri petiiſſe. Quia talis dando eiuſmodi ſigna, & petēdo confiteri,confeſſionē quantum poteſt inchoat, & poſtea per teſtes tanquā per interpretes pręſenti ſacerdoti quantum poteſt confitetur. Atque ita decretū Clementis VIII.hunc caſum nullo modo reſpicit. quod dicto dubio fuſiùs probaui.

Cùm autem multi viderent ſententiam moribundis adeò

vti-

Digitized by Google

vtilem tam grauiter dicta diſſertatione impugnari, aut potiùs damnari, plurimùm ab ijs rogatus fui vt dictum libellum refutarem. Quod etſi ob ea quę inferiùs dicam, vix operæ pretium ducerem, vt tamen amicis me monentibus morem gererem, facere aggreſſus ſum: ſubitoque quædam rei propoſitæ accommoda collegi; quæ typographo loco ſuprà citato inſerenda mitterem. Sed ſeriùs: longiùs enim in excudendo libro progreſſus erat quã vt hoc fieri poſſet. Quare hoc conſilium aliquamdiu depoſueram, donec tandem mihi ſum paſſus perſuaderi, vt peculiari libello dictis diſſertationibus reſponde-

Digitized by Google

derem. Quia verò multa, quæ in hac reſpõſione dicenda ſunt, nequeunt commodè intelligi ab eo, qui dicta in illo dubio 10. non legerit; quò hoc Lectori magis promptum ſit, huic libello inſertum ipſi reſponſioni præponi curaui. Ne autem hic nimis paruus in lucem prodiret, & quia credidi Lectori fore gratum, addidi aliud dubium de Miniſtro matrimonij, quod tertiæ eiuſdem tractatus editioni inſeruerã, & quo quibuſdam obiectionibus reſpondeo. Quod credidi futurũ gratum ijs, qui primæ aut ſecundæ editionis exemplaria emerunt. Addo tertiũ dubium pro explicatione cuiuſdam loci ex pri-

Digitized by Google

prima ad Corinth. quem quidã putarunt clariùs explicandum. Qui vt ſatis poſſit intelligi, neceſſarium fuit totum dubium, pro cuius explicatione ille locus adfertur, hîc rurſum deſcribere. Rogo autem Deum Opt. Max. vt hæc ipſius gloriæ, & legentium fructui cedant.

Digitized by Google

Reſponſio ad libellum quo impugnantur quæ tomo II. de Sacramentis diſp. 7. dub. 10. docui, de confeſſione & abſolutione moribundi ſenſibus deſtituti.

DVBIVM X.

Vtrùm abſoluendus ſit moribundus, qui nullum peccatum in particulari potuit confiteri, ſed ſolùm ſigna generalia doloris oſtendere?

1. *Variæ hac de re ſunt ſententiæ Prima abſolutè negat, talem poſſe ſacramentaliter abſolui. Ita Soto in 4. d. 18. q. 2. a 5. & quidam alij. Probant, quia Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. docet hoc Sacramentum requirere talem confeſſionem, per quam ſtatus confitentis poſſit cognoſci: atqui hæc non eſt talis: ergo ad hoc Sacramentum non ſufficit. Secundò, quia per talem confeſſionem confeſſarius nihil cognoſcit quod antè non ſciebat. nam tantùm generatim cognoſcit talem peccaſſe: atqui nemo poteſt exercere iudicium*

Soto.

Trident.

cium ſine cognitione cauſæ: ergo ſacerdos circa talem non poteſt proferre ſententiam iudicialem. Tertiò, quia tam hoc Sacramentum, quàm reliqua omnia neceſſariò requirunt materiam determinatam: hîc autem nulla talis datur: ergo, &c. Quartò, quia abſolutio ſacramentalis neceſſariò debet ſaltem ſuper aliqua peccata cadere directè: quia aliàs pœnitens à nullo peccato directè abſolueretur: atqui hoc hîc fieri non poteſt: ergo, &c.

Secunda ſententia omnino extrema tenet, moribundum poſſe abſolui etiamſi nulla ſigna pœnitentiæ dederit. Huius ſententiæ fundamẽta retuli diſp. 5. n. 28. vbi etiam oſtendi eam non videri probabilem.

Tertia ſententia docet, talem poſſe abſolui ſi dederit ea ſigna præſente ſacerdote: ſecùs verò eſſe ſi dederit ea abſente ſacerdote, etſi alij præſente ſacerdote teſtentur ipſum petiiſſe confeſſionem, & oſtendiſſe ſigna doloris. Et hanc ſententiam (non autem primam) tenet Nauarrus cap. 26 num. 27. Nauar.

Quarta ſententia docet, talem ab-

ſoluendum, etiamſi ea ſigna abſente ſacerdote dederit, modò eo iam præſente alij teſtentur ipſum ea dediſſe. Auctores infrà citabo.

Sacerdos tenetur dare operam vt pœnitẽs aliquod peccatum in particulari confiteatur.

Vbi Nota, certum eſſe ſacerdotẽ ſemper debere laborare quantum poteſt, examinando circa particularia peccata ſaltem venialia ipſum moribundum, vt aliquod peccatum particulare ſaltem nutu, ſe præſente confiteatur: ſed difficultas eſt quando nihil ſimile haberi poteſt.

2

Sufficiunt tamen ſigna generalia, quando alia haberi non poſſunt.

CONCLVS. I. *Quando moribundus dat præſente ſacerdote generalia ſigna quibus oſtendit ſe peccaſſe, & de eo dolere, ſi eò quòd ſubitò priuetur ſenſibus, non poſſit aliquid in particulari confiteri, poteſt ſacramentaliter abſolui. Ita auctores tertiæ ſententiæ, & Ruardus tom. 1. contra Lutherum, a 5. poſt initium, ac Corduba apud Suarem diſp. 23 ſect. 1. n. 5. & Henriq. l. 6. c. 10. n. 7. citans Alceçer & alios. Et à fortiore tenent ij quos citabo concl. 2.*

Ruardus.

Corduba.
Suarez.
Henriqu.
Alcoçer.

Probatur Primò, quia id expreſſè docent Concilium Arauſicanum, & Carthag. III. & IV. & D. Leo epiſt. 91. & Pa-

Concil. Arauſican.
Carth III.
& IV.
..80.

Paſtorale Leonis X. vt apertè oſtendam concl 2.

Probatur Secundò, quia talis dat veram materiam abſolutionis, ſcilicet veram ſuiipſius accuſationẽ cum oſtenſione doloris quantam hîc & nunc dare poteſt, & ex qua ſacerdos in hoc foro cognoſcit pœnitentem peccaſſe, & eum de hoc dolere; & conſequenter cognoſcit ſtatum pœnitentis, eumq́; eſſe ſufficienter ad abſolutionem diſpoſitum; quantum hîc & nunc cognoſci poteſt. quæ abſolutè ſufficiunt, vt ſacramentaliter abſolui poſſit. Nam Deus à nobis non requirit aliam confeſſionem, quàm quæ nobis hîc & nunc poſſibilis eſt. Confirm. quia, vt docet D. Thom. in 4. d. 21. q 2. a. 1. & 2. qui ſolùm meminiſset in genere ſe feciſse aliquod peccatum mortale, & hoc ita confiteretur, deberet abſolui, cùm tamen in particulari nihil confiteretur. Item ſi aliquis qui multis annis in grauiſsimis vixiſſet peccatis, ſolùm confiteretur vnum peccatum veniale, v. c. ſe aliquando diſtractum fuiſſe inter orandum, & ſubitò deſtitueretur ſenſibus; ſecundùm omnes

Deus non requirit aliã confeſſionẽ, quàm quæ hîc & nunc fieri poteſt. D. Thomas.

Digitized by Google

omnes deberet abſolui : & tamen moraliter loquendo ſacerdos ex illa confeſſione non poſſet magis de illius ſtatu iudicare, quàm ſi ſolùm generatim dixiſſet ſe peccaſſe : ergo etiam hoc caſu deberet abſolui.

3 *Ad primum argumentum primæ ſententiæ*, Reſp. Concilium ibi ad eſſentiam Sacramenti requirere aliquam confeſſionem, & quidem tam integram & particularem circa omnia peccata mortalia, quàm hîc & nunc à pœnitente fieri poteſt, qualem & nos requirimus, & hîc eſſe dicimus. quare neganda eſt minor. Ad ſecundum, nego maiorem: quia ſacerdos per talem confeſſionem cognoſcit in hoc foro, ſiue tamquã iudex hunc Deum offendiſſe, & de hoc dolere; quorum ſecundum priùs nullo modo, & primum ſaltem in hoc foro non ſciebat. Ad tertium, nego minorem. Nam & actus pœnitentis, ſcilicet dolor & confeſſio, quæ ſunt intrinſeca materia Sacramenti ſunt actus ſingulares & omnino determinati, & verſantur circa peccata determinata, quæ ipſe pœnitens commiſit; licet hæc deter-

Digitized by Google

determinatè non exprimantur; quod ad valorem & fructum ipſius Sacramenti non aliter requiritur, quàm quatenus hîc & nunc fieri poteſt. Ad quartum, Reſp. ad eſſentiam Sacramenti ſufficere, vt abſolutio cadat directè ſuper peccatum in genere, atque ita pœnitens directè abſoluatur ab omnibus ſuis peccatis in genere, prout conueniunt in offenſa Dei: qua ratione iſte omnia confitetur. à nullo tamē ſecundùm ſuam ſpeciem directè abſoluitur. nec hoc ad eſſentiam Sacramenti requiritur. Quare ſi poſtea poſſit, tenetur ſingula explicitè confiteri.

CONCLVS. II. *Si moribundus ante aduentum ſacerdotis oſtenderit ſigna pœnitentiæ, & petierit confiteri, & ipſo ſacerdote aduenjente omnem vſum rationis perdiderit, ita vt ipſo præſente nullum ſignum doloris poſſit oſtendere; ſi tamen præſentes teſtentur ipſum dediſſe ſigna pœnitentiæ, & petiiſſe confeſſionē, & periculum ſit in mora poteſt à præſente ſacerdote ſacramentaliter abſolui. Ita expreſſè D. Antonin. 3. p. tit. 10. c 2 circa medium. Silueſter v.* Confeſſor, *3. n 16.* 4

4 Poteſt abſolui qui ſacerdoti præſenti ſolùm per alios confitetur.

D. Anton. Silueſter.

Pa-

Palud. I. *Palud.d.21.q.2.a 2.concl 2. vbi expreſſè docet, confeſſionem generalem de peccatis, quæ pœnitens eſt oblitus, eſſe ſacramentalem, iunctis iis quæ dicit d.17 q.2. verſ.* Tertia definitio, *vbi docet confeſſionē poſſe etiam abſenti per nuntium fieri. quanto igitur magis ſecundùm eum poterit fieri modo iam à nobis explicato?*
Medina. *Item Medina de Pœnit. tract 2.q 39. in*
Angelus. *fine. Angelus v.* Confeſſio, *4 n 8.*

Probatur hæc ſententia Primò, ex Concilium Arauſican. *Conc. Arauſicano c.11. vbi dicitur:* Subitò obmuteſcens (prout ſtatutum eſt) baptizari aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat, aut præſentis in ſuo nutu, *quo ſcilicet dolorē de peccatis ſignificet. Item* Conc. Carthag. III. & IV. *Concil. Carthag III c.34. ait,* Vt ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntas eorum teſtimonium ſui dixerit, baptizentur: ſimiliter & de pœnitentibus agendum eſt. *Item Carthag IV. cap. 67. ait:* Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dum ad eum ſacerdos inuitatus

tus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit; dent teſtimonium qui eum audierũt, & accipiat pœnitentiam: & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.

Reſpondent aliqui cum gloſſa in caput 5.
Is qui, *26. q 6. hæc capita loqui ſolùm de abſolutione à cenſuris. Sed hoc in primis gratis omnino dicitur. quia ibi nulla fit mentio cenſurarum, & Iura generatim loquuntur de omnibus qui ex infirmitate ſubitò obmuteſcunt, qui non niſi temere poſſunt generatim præſumi ligati eſſe aliquibus cenſuris. Secundò, comparant hanc reconciliationem cum baptiſmo, vt oſtendant ſe loqui de vero Sacramento. Tertiò, quia loquuntur de reconciliatione quæ requiritur ante ſumptionem Euchariſtiæ, quæ reſpectu eorum de quibus dubitatur an ſint in peccato mortali, debet fieri per ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ: vt expreſſè docent D. Leo epiſt. 91. & Concilium Trident.* D.Leo.
ſeſſ. Trident.

Digitized by Google

ſeſſ.14.cap.7. Quartò, quia ſi hoc modo Concilia & Patres interpretemur, nihil nobis in iis vlteriùs faciemus reliquum, ex quo Sacramentum pœnitentiæ probemus. quod hæreticis erit gratiſſimum.

6 *Probatur Secundò, clariſſimè ex D.*

D. Leo. *Leone epiſt. 91. ad Theodorum Epiſcop. Foroiulienſem, vbi initio docet, lapſos poſt baptiſmum, vt vitam ſiue gratiam amiſſam recuperent, debere confiteri, & per preces ſiue abſolutionem ſacerdotis indulgentiam obtinere. Deinde addit,* Mediator enim Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus ſatisfactionem pœnitentiæ darent, & eâdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorũ per ianuam reconciliationis admitterẽt. *Vbi clarè docet, ſe loqui de ſacramentali abſolutione, & hanc vocari abſolutè reconciliationem, & ante communionem neceſſariò præmittendam. Deinde cùm docuiſſet qua caritate & diligentia ſacerdotes ſe huic operi impẽdere debeant, ſubdit:*

ſubdit: Si autem aliquis eorum pro
quibus Domino ſupplicamus (*qua-
les ſunt omnes fideles, pro quibus Eccle-
ſia quotidie orat*) quocumque inter-
ceptus obſtaculo à munere indul-
gentiæ præſentis exciderit, & priuſ-
quam ad conſtituta remedia perue-
niat, temporalem vitam humana
conditione finierit, quod manens
in corpore non receperit, conſequi
exutus carne non poterit. *Ex quibus
verbis etiam apertè patet, D. Leonem
hîc nullo modo loqui de abſolutione à
cenſuris (quæ, vt patet ex c.* À nobis, *28.
& c.* Sacris *38 de ſententia excommun.
poteſt etiam mortuis impendi) ſed de ſo-
la abſolutione ſacramentali, quam mor-
tuus recipere non poteſt. Et deinde ra-
tione huius periculi oſtendit, quàm ſit pe-
riculoſum confeſſionem in vltimum vi-
tæ tempus differre. Et tandem ſubiun-
git*: Verùm, vt dixi, etiam talium ne- 7
ceſſitati ita auxiliandum eſt, vt nec
actio illis pœnitentiæ, nec commu-
nionis gratia denegetur, ſi ea etiam
amiſſo eis vocis officio, per indiciũ

integri ſenſus quærere comprobẽtur. *Vbi apertè priorem concluſionem docet. ac deinde pergit*: Quòd ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggrauati, vt quod paulò antè poſcebant, ſub prẹſentia ſacerdotis ſignificare non valeant; teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debeant, vt ſimul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur. *Hæc D Leonis definitio clarior eſt, quã vt poſſit tenebris inuolui. Quidam tamen, ne quacumque ratione à præconcepta ſententia dimoueantur, conantur reſpondere, aiuntq́ D. Leonem initio quidem locutum fuiſſe de ſacramentali abſolutione, in vltimis tamen verbis vti æquiuocatione, & ſolùm loqui de abſolutione à cenſuris: nec aliunde id colligũt, quàm quia aliàs eorum damnaretur ſententia, quam tamen neceſſariò oportet ſupponere eſſe veram.*

8 *Itaque iis dicendum eſt Primò, D Leonem hic æquiuocè & obſcuriſſimè loqui, atque ita non tam docere quàm dare occaſionem errandi. Secundò, eum præſumere*

mere

mere eos omnes qui iam moribundi pœnitentiam petunt, eſſe excommunicatos, & ab hac ſola cenſura, nullo autem modo à peccatis poſſe abſolui, ſiue ea per ſe voce, vel nutu, ſiue per alios ſacerdoti iam præſenti fateantur, ac abſolutionem petant. Nam de his omnibus eodem planè modo Pontifex loquitur, docetq́; omniũ eandem eſſe rationem. Quæ quàm ſint aliena à veritate, nemo non videt. Sed pergamus audire Pontificem, vt ipſe nobis omnem ſcrupulum eximat, oſtendatque ſe hactenus non fuiſſe locutum de excommunicatis. Poſt verba enim citata ſubdit: Seruata tamen regula canonum paternorum circa eorum perſonas, qui in Deum à fide diſcedendo peccarunt. vt ſcilicet non abſoluantur ſacramentaliter, niſi priùs ab excommunicatione abſoluantur, & prout fieri poteſt profeſſionem fidei faciant, vt idem docet epiſt. 3. ad Iulianum Aquileienſem. Cùm igitur hîc diſtinguat inter eos de quibus antè fuerat locutus, & inter hæreticos, qui præciſi ſunt ab Eccleſia; oſtendit ſe antè non fuiſſe locutum

de huiuſmodi hominibus.

9 *Probatur concluſ. ratione. Quia, cùm talis oſtendat exteriùs ſe dolere de peccatis, ac velle confiteri, petatq́; in hunc finem ſacerdotem accerſiri, generatim iam incipit confiteri; ſimili ferè modo atque is qui per interpretem confiteretur, dum huic ſua peccata dicit, vt ſacerdoti deinde ea explicet. Quare dum adſtantes poſtea ſacerdoti præſenti pœnitentiam & deſiderium moribundi explicant, inſtar interpretum ipſius confeſſionem ſacerdoti exponunt, atque ipſe per hos ſacerdoti iam præſenti confitetur: atque ita ſufficientem materiam abſolutionis præbet.*

10 Clemens VIII. *Ex quo patet, hanc ſententiam nullo modo repugnare definitioni Clementis VIII. qua damnauit hanc propoſitionem,* Licet per litteras, aut internunciũ confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionẽ obtinere. *Primò quia, vt patet vel ex ipſis verbis, caſus hic damnatus omnino eſt diſtinctus à noſtro. Secundò, quia certum eſt Pontificem*

ſicem illam propoſitionẽ damnando, noluiſſe contradicere D. Leoni. Tertiò, quia ipſe Pont. Clemens VIII. interrogatus an moribundus in caſu noſtræ concluſionis deberet ſacramentaliter abſolui; reſpondit debere abſolui, & ſe eum abſoluturũ, eumq́ caſum ſuo decreto nullo modo comprehendi: vt anno 1608 die 16. Aprilis teſtati ſunt ſe ex eo audiſſe Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, & Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Armacanus: qui etiam dixit ſe puniturum Parochum ſibi ſubiectum, quem ſciret tali negaſſe abſolutionem: & hac de re ſcriptum teſtimonium ſua manu ſubſignatum dedit R. P. noſtro Prouinciali Franciſco Flerontino & P. Leonardo Leſſio tunc Romæ exiſtentibus, & ſimile poſtea miſit ad aliquos DD. Louanienſes. quæ teſtimonia adhuc ſeruantur. Bellarm. Illuſtriſſ. Archiepiſc. Armacan.

Dices, Euſebius Papa apud Burchardum li. 18. c. 11. dicit in tali caſu ſacerdotem debere orare ſuper agrum, oleo ſancto eum vngere, & infundere ei Euchariſtiã, nullam faciens mentionẽ abſolutionis: ergo ſentit hanc non poſſe impendi. II Euſebius Papa.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Reſp. Primò, argumentum ab auctoritate negata nihil probare. Reſp. Secundò, ſub oratione comprehendi etiam abſolutionem ſacramentalem. Hanc enim Patres ſæpè orationem vocant: vt patet ex D Leone ſuprà citato, & ex ipſo Euſebio, qui ibidem dicit tali nihil negandum quod pœnitentibus tribui ſolet, inter quæ præcipua eſt abſolutio ſacramentalis.

Formas Sacramentorũ Patres ſæpè vocant orationes.

Ex his patet, ſacerdotem tali caſu non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri talem abſoluere. Quia cùm hoc licitè poſſit facere, vel ex caritate, vel etiam ex iuſtitia, ſi ipſius paſtor ſit, ad hoc obligatur. Quod etiam verum eſt reſpectu eorum qui contrariam ſententiam tenent. quia, cùm hanc ſententiam poſſint in praxi tutò ſequi, idq́; ſit ſaluti moribundi valdè expediens aut etiam neceſſarium, ſi ſolùm ſit attritus, ad hoc vel ex caritate vel etiam ex iuſtitia tenentur.

Etiam auctores contrariæ ſententiæ tenentur tales abſoluere.

CVM

Digitized by Google

CVm dictum libellum diligentiùs perlegiſſem, & in eo contenta cum ijs quæ loco citato doceo, contuliſſem, parum putaui neceſſarium eidem reſpondere. Nam priorem ſententiam à Clemente VIII. damnatam non minùs quàm illi auctores falſam puto, idque in dicto tractatu diſp. 4. dub. 10. ſatis probaui. quare nihil ex hac parte reſtat refutandum, niſi fortè velit quis me refutare argumēta, quibus auctor primæ diſſertationis conatur oſtendere argumentū, quo tam P. Suarez quàm ego probamus dictam abſolutionem nihil valere, eſſe infirmum: ſed eadem argumenta dicto loco mihi obieci & refutaui. Quare non video quid mihi ex hac parte vlteriùs refutandum reſtet; nec puto aliquem hîc quidquam vlteriùs à me iure poſſe exigere; nec hoc illi qui me ſollicitarunt, intenderunt, ſed ſolùm vt ſecundam partem prioris aſſertionis quâ directè oppugnor, refellerē. Sed etiam hîc 12

mihi viſus ſum actũm acturus: nam omnia argumenta quæ dictus auctor contra me adfert, dicta diſp. 7. dub. 10. quod huic etiam reſponſioni præpoſui, ſunt (licet breuiter) aut expreſsè poſita ac ſoluta, aut ex ibidem dictis eorum ſolutio facilè poteſt elici. quod vtraque diligenter conferenti erit clarũ. Omnis enim eorum vis in eo verſatur, vt probent talem nullo modo confiteri, atque ita nullam dare materiam abſolutionis, ſine quâ nequit conſiſtere Sacramentũ. Sed loco citato contrarium ſatis probaui. nam, vt patet ex ibidem dictis n. 104. huc translatis n. 9. iuncta ſecunda probatione primæ concluſionis, talis hoc ipſo quo oſtendit ſe dolere de peccatis, & petit ſacerdotem à quo abſoluatur, apertè fatetur ſe peccaſſe; petitque vt adſtantes tanquam ſuæ voluntatis interpretes id ſacerdoti præſenti denuncient, ab eoque abſolutionem pro ſe petant caſu quo id per ſe facere non poſſit; atque ita

dum

dum hi id faciunt, ipſe per eos tanquam per ſuos interpretes præſenti ſacerdoti confitetur.

Dices, Si quis ſanus diceret: Vellem confiteri ſi adeſſet ſacerdos, & ſtatim priuaretur vſu rationis, à ſuperueniente ſacerdote non poſſet id alijs teſtantibus abſolui: ergo nec moribundus in caſu allato. Reſpõdeo negando conſequentiam: quia prior nec haberet nec ſignificaret hîc & nunc abſolutam voluntatem confitendi; ſed tantùm ſub conditione futuram, ſiue quam eſſet habiturus ſi ſacerdos adeſſet. Secùs eſt de altero, qui, vt oſtendi, & habet & indicat præſentem & abſolutam voluntatem confitendi, ac confeſſionem de facto moraliter inchoare cenſetur. Præſentia autem ſacerdotis poſtea adueniẽtis, coram quo qui antè præſentes fuerant, moribundi voluntatem ac deſiderium teſtantur, ac tanquam horum interpretes ſacerdoti explicant, non ſolùm, vt illi obijciunt, eſt merè mate- 14

Differentia inter ſanum ſignificantẽ ſe velle confiteri & inter moribundum.

 rialis,

rialis, & quaſi per accidens; ſed etiam verè humana & formalis; quia ipſe ex auditis & viſis humano modo, quantum in tali caſu fieri poteſt, iudicat de ſtatu pœnitentis, non minùs quàm quãdo quis confitetur per interpretem; præſertim ſi ipſe ob perturbatam memoriam aliamúe iuſtam cauſſam ſolùm dicat generatim ſe Deum offendiſſe, & de eo dolere, nullum peccatum in particulari exprimendo, aut ſolùm aliqua venialia in quæ communiter omnes incidunt, iuxta ibidem dicta n.97. & hîc n.2.

15 Quod autem dictus Auctor dicit, vt confeſſio per interpretem facta valida ſit, neceſſarium eſſe vt pœnitens nutu ſignificet, ſua eſſe peccata, quæ interpres exponit, ſeque ea clauibus ſubijcere, vt ſacerdos hac ratione poſſit eſſe certus interpretem fideliter ſibi commiſſa referre; qui aliter ab interprete facilè poſſet decipi; verum non eſt. Primò, quia cùm æger non magis intelligat lin-

Confitens per interpretem non debet ſacerdoti ſignificare illum fideliter audita referre.

guam,

guam, quâ interpres loquitur ſacerdoti, quàm ſacerdos eam quâ ille loquitur interpreti; non magis poteſt ſcire an interpres verba ſua fideliter referat, quàm ipſe ſacerdos, & conſequenter nequit hoc ſacerdoti ſignificare. Secundò, quia ſi ſacerdos eſſet cæcus, aut res ageretur in tenebris, ſequeretur confeſſionẽ factam per interpretẽ præſenti ſacerdoti eſſe inualidam. quod omnino abſurdum eſt.

Dices, tunc pœnitentem edito gemitu debere ſignificare ſe dolere de peccatis. Sed hoc & gratis dicitur, & inutile eſt: nec enim ſacerdos tunc ſcire poteſt vtrùm gemat ob dolorem peccatorum, an ob vim morbi. Similiter verum non eſt eum non debere abſolui, qui ſignificans ſe cupere confiteri, ideòque ad genua ſacerdotis accidens ſubitò apoplexiâ tangitur antequã aliud verbum proferat: talem enim inſtante mortis periculo debere abſolui patet ex dictis loco citato concl. 1. & 16

au-

auctoribus ibi citatis. Atque ita apertè ſoluuntur omnia quæ in dicto libello pag. 45. & ſequentibus contra hanc ſententiam argumenta adferuntur.

17 His adde, dictum auctorem ſibi quidem obijcere aliqua argumenta quibus cõmuniter ſolet noſtra ſententia probari, penitus tamen omiſiſſe ferè omnia, quæ attuli loco citato num 5. & ſequentibus, quibuſque ipſius reſponſiones, antequam eas adferret, refutaui, ac clarè oſtẽdi tam canones à me allatos, quàm epiſtolam S. Leonis neceſſariò debere intelligi de abſolutione ſacramentali. Quare cùm ipſe etiam pag. 61 & 62. fateatur per dationem pœnitentiæ & reconciliationem ſæpè in canonibus ſignificari abſolutionem ſacramentalem; facilè poterat aduertere, vt probaret dicta verba locis à me citatis ſolùm ſignificare aliquid cęremoniale, non ſufficere, ſi (quod fusè conatur facere) oſtenderet ea quandoque in ſenſu à ſe inten-

Digitized by Google

tento ſumi, niſi probaret ea locis à me citatis ita ſumi, & refutaret argumenta quibus contrarium probo. Donec igitur hoc ſufficienter fecerit, nihil eſt cur eum fuſiùs refellam.

Putaui tamen hîc adiiciendum luculentum D. Thomę teſtimoniũ; noſtram enim ſententiam expreſsè aperteque docet opuſculo 65 §. *De Extrema vnctione.* vbi ſub finem ita ait: *Si autem infirmus, qui petit vnctionem, amiſit notitiam vel loquelam, antequam ſacerdos veniret ad eum, nihilominus vngat eum ſacerdos; quia in tali caſu,* (quo ſcilicet aut baptiſmum aut abſolutionem ſimili ratione petijſſet iuxta dicta à nobis ſuprà) *debet etiam baptizari, & à peccatis abſolui.* Non video quomodo clariùs noſtram ſententiam docere potuiſſet; aut qua ratione eius verba in alium ſenſum vel apparenter detorqueri poſſent Quare illis aut à D. Tho. hîc diſcedendum, aut nobiſcum ſentiendum: niſi fortè dicant, D. Thomam 18

S. Thomas noſtram ſententiam apertè docet

mam tunc ob canones malè intellectos in errorem inductum, quem poſtea niſi morte fuiſſet præuentus in Summâ erat correcturus. Sed ea ratione omnem S. Thomæ auctoritatem quiuis elidet.

Stitiſſem hîc calamum niſi quædam in priore diſſertatione occurriſſent notanda.

19 Primò enim huius auctor pag. 51. §. *Secundò quia*, dicit Suarem probare, canones docentes eiuſmodi moribundos per pœnitentiam reconciliandos, debere intelligi de pœnitentia ſacramentali, quia loquuntur de ea, quæ ſæpè homini neceſſaria eſt ad ſalutem; ita vt ſine ea damnaretur. Et pag. 60. initio, ait mirum eſſe, in quo canone Suarez illud legerit, cùm in nullo eorum quos adducit, aliquid ſimile habeatur. Vt igitur mirari deſinat, citabo hîc verba canonum in quibus hoc habetur; cap. *Si presbyter*. 26. q. 6. dicitur: *Si presbyter pœnitẽtiam morientibus negarit, reus erit animarum*. &c.

Negans moribundis abſolutionem reus eſt animarum.

Agno-

Agnouimus. ibidem, dicitur talem mortem morti addere, & ſalutem homini adimere. Quæ nequeunt commodè alio ſenſu dici, quã quia negatâ pœnitentiâ tales in peccatis permanent, à quibus aliàs per eam liberarentur. quod in moribundis ſenſu iam deſtitutis nequit intelligi, niſi de pœnitentia ſacramentali, ſiue de pœnitentię Sacramento; tunc enim nullâ aliâ pœnitentiâ à peccatis liberari poſſunt. Et S. Leo epiſtola 91. relatus cap. *Multiplex*. de pœnitentia d. 1. explicaturus qua ratione recõciliandi ſint moribundi id petentes, qui præſente ſacerdote aut vocem, aut etiam omnem ſenſum amiſerunt, & ſolùm præſentium teſtimonio ſuum deſiderium ſignificare poſſunt, initio ait: *Sic diuinæ bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus ſacerdotum* (ſic appellat formam abſolutionis, vt oſtendi dubio citato nu. 106. hîc 11.) *nequeat obtineri*. vbi docet ſe ibi agere de reconciliatione

ne moribundis impendenda, ſine qua nequeat obtineri indulgentia Dei (ſcilicet ſæpè, & quando peccator non eſt perfectè contritus) & conſequenter ſine qua ſalus ægri periclitetur.

20 Dices, In cap. *Si presbyter*, & c. *Agnouimus*, nulla fit mentio moribundi ſenſibus deſtituti; ergo ex his nihil poteſt probari. Reſp. Nego conſ. Nam ex ijs immediatè clarè probo, pœnitentiam quam Eccleſia vult moribundis impendi, ſumi pro pœnitentia ex cuius defectu ſalus moribundi periclitaretur. Deinde cùm alij canones expreſſè iubeant pœnitẽtiam impendi etiã ijs qui ſenſibus deſtituti ſunt, ſi aſtantes teſtentur eos hanc antè petijſſe; item cùm citati canones generatim loquantur de pœnitentia moribundis ex vſu Eccleſiæ impendenda; bene concludo eos debere etiam intelligi de moribundis ſenſu deſtitutis; quia hos non excipiunt. Præſertim cũ S. Leo ſuprà citatus expreſsè iubeat,

Digitized by Google

eat, etiam his eiuſmodi pœniten-
iam ſine qua indulgentia nequeat
obtineri, impendi.

Viderat dictus Auctor priora iu- 21
a apertè contra ſe facere; ideoque
tanquam ad ea reſponſurus ait, à
Iulio & Cæleſtino Pontificibus gra-
uiter reprehendi, qui publicis pec-
catoribus in mortis articulo oppor-
tuna ſalutis remedia negabant: illis
quidem qui coràm confiteri vole-
bant pœnitentiæ Sacramentū, Eu-
chariſtiam, & Extremam vnctionē;
ijs verò qui morbo impediti confi-
teri non poterant, recōciliatoriam
manus impoſitionem, & Euchari-
ſtiam; ſeruatâ tamen ſemper pro-
portione iam dicta. Et ſubdit: *Porrò
illis qui obmutuerāt, vel alio morbi im-
pedimento præuenti confiteri non pote-
rant, ſacramentalem abſolutionem im-
pendi non ſolitam fuiſſe ex iis quæ ſuprà
dixi ſatis liquet, & ſpecialiter ex hiſto-
ria Serapionis*, &c. Sed hîc, vt Aucto-
ris verbis vtar, verè mirum eſt, vbi
ille in citatis iam à me canonibus

(quos nomine Iulij & Cæleſtini eorum auctorum tacitè citat) ſupradicta legit: cùm in illis nihil eorum, quæ dicit habeatur, nec Euchariſtiæ aut Extremæ vnctionis vlla fiat mentio; ſed ſolius pœnitentię, cuius remedio moriens animæ ſuæ cupit ſubueniri, & quam negantes dicuntur rei animarum, & mortem morti addere: quod, vt oſtendi, præſertim in deſtitutis vſu rationis, de ſola ſacramentali pœnitentia dici poteſt. In fine quidem ſecundi canonis fit mentio reconciliationis, ſed in priore non; & eſt ibi diſtincta quæſtio ab ea, quæ initio proponebatur.

22 Deinde non ſatis video quomodo hæc illorum canonum interpretatio conueniat cum pag. 65. illius libri, vbi Auctor ſignificat ſuos ſolere Pontificum decreta ſine aliqua eorum interpretatione aut tergiuerſatione prompto animo acceptare, illiſque eſſe inſolens his vti.

Tertiò, aſſerit quidem, ſed nulla ratione probat, iis, qui præſente ſacer-

erdote per ſe confiteri non pote-
ant, non fuiſſe ſolitam impendi ſa-
ramentalem abſolutionem : nul-
ım enim canonem aut hiſtoriam
dfert, ex quibus hoc vel apparen-
er poſſit colligi. Sed vt ſummum ex
uibuſdam poteſt colligi, quòd ob
efectum ſacerdotis quibuſdã mo-
ıentibus, etiam confiteri, ſi ſacer-
os adfuiſſet, potentibus Euchari-
:ia ſine abſolutione quandoque
ata ſit. & hoc ſolum probat hiſto-
ia Serapionis. quod ad rem præ-
:ntem nihil facit.

Secundò, pag. 62. reprehendit 23
uarem quòd dicat S. Leonem epi-
:olâ citatâ docere, pœnitentiam
noribundis dandam à ſacerdoti-
ıus vi poteſtatis acceptæ per illa
erba: *Quorũ remiſeritis peccata*, &c.
ùm hæc in Leone non habeantur.
ed quamuis non habeantur ea
ræciſè verba, habentur tamen æ-
uiualentia. quia S. Leo ibi docet,
am poteſtatem reconciliandi pec-
atores Prępoſitis Eccleſiæ eſſe da-

tam,agitque de ea reconciliatione, ſine qua,vt antè dixerat, indulgentia Dei obtineri nequit. quam conſtat dictis verbis eſſe datam. Vtinam ipſe tam fideliter ibidē S. Leonem citaret, dum docet eum ibidem tradere doctrinam communem de pœnitentia, quâ ſcilicet ratione ordinariè & extra neceſſitatem,& bono (vt ipſe loquitur) ordine adminiſtrari debeat, ideoque omnia eò ſpectantia vocare ordinata præſidia diuinæ bonitatis: cùm S. Leo nihil minùs ibi doceat; ſed ſolùm dicat diuinæ bonitatis præſidia ita eſſe ordinata (ſiue inſtituta,) vt indulgentia ſine ſupplicationibus ſacerdotū nequeat obtineri quæ longè diuerſa ſunt.

24 Ex hoc autem malè fundato antecedente malè fundatam,nec vllo modo probabilem infert concluſionem, ſcilicet S. Leonem reconciliationem ibi accipere æquiuocè, modò pro abſolutione ſacramentali, modò pro merè cæremoniali, quâ

quâ olim publicè pœnitentes aut cenſuris ligati Eccleſiæ reconciliabantur,& ad Sacramenta admittebantur: ita vt Pontifex velit illam exhibendam legitimè,ac per ſe ſacerdoti coràm confitentibus;hanc verò ſolùm ijs, qui præſente ſacerdote deſtituti ſenſibus ab alijs ſuæ voluntatis teſtimoniũ debent mutuari. cuius nulla vel in ſpeciẽ probabilis coniectura ex verbis S. Leonis deſumi poteſt; nec vlla poteſt occurrere ratio eum ita explicandi; niſi quòd aliàs eius opinio nimis apertè à S. Leone improbetur, noſtraq́; definiatur. Nam ex eo, quod illi pro ſe adferunt, ſcilicet, quòd datio pœnitentiæ ac reconciliatio quandoque in veteribus Concilijs accipiantur pro impoſitione publicæ pœnitentię aut çæremoniali reconciliatione publicè pœnitentiũ, eadem probabilitate inferas hæc ita in dicta S. Leonis epiſtola accipi; atque ex eo quòd Gen. 41. in ijs verbis Ioſephi: *Septem boues pulchræ,*

Digitized by Google

& ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem vbertatis anni ſunt; verbum *ſunt* ſumatur pro *ſignificant*: inferas in his verbis Chriſti Matth. 26. *Hoc eſt corpus meum*, verbum *eſt* eodem ſenſu ſumi. Ago hîc autem præcisè de probabilitate conſequentiæ, non autem conſequentis: nec enim intendo contrariam ſententiam damnare, ſed meam probare.

25 Tertiò, pag. 53. initio ait in omnibus decretis pro noſtra ſententia citatis ſolùm agi de illis qui pœnitentiam publicam agebant. quod probat, *quia ſemper loquuntur de reconciliatoria manus impoſitione, quæ ſolis pœnitentibus publicis dabatur*, &c. Vbi libẽter ab eo diſcerem primò, quibus verbis huius fiat mentio in canone 11. Concilij Arauſicani, & canone 34. Carthag. III. ex quibus meam ſententiam dubio citato nu. 99 hîc 4. probo; indeque confirmo quòd Cõcilia ibi eodem modo loquantur de petentibus baptiſmum & petentibus pœnitentiam, apertè in-

Digitized by Google

nſinuando vtroſque & petere & lebere accipere verum Sacramen-um. Secundò, qua ratione hæc cõ-:ordent cum dictis pag. 62. vbi ait: *Hinc conſtat eiuſmodi decreta obſcura ſſe propter multiplicem vocum pœni-entiæ & reconciliationis ſignificatio-em.* Et infrà: *Dicimus ergo nomine vero reconciliationis ſignificari & ab-olutionem à peccatis, & reconciliatio-em cæremonialem.* Certè cõſtat, ab-olutionem à peccatis non ſolis pu-licè pœnitentibus ſolitam impen-di: & conſequenter nec reconcilia-tionem, adeoque verum non eſſe, hanc olim ſolis publicis pœnitenti-bus datam.

Quartò, initio ipſius libelli propo- 26
nit hanc quæſtionem: *Poſſitne vllo caſu validè fieri confeſſio ſacramentalis ſacerdoti abſenti.* Et paullò pòſt ait eam à Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. fuiſſe definitam; ſcilicet pro parte negatiua, ſiue eam non poſſe validè fieri. nec enim vult eam fuiſſe definitam pro parte affir-

 ma-

matiua. Optarem hîc mihi oſtendi quo decreto, quibúſve verbis hoc à Pontifice fuerit definitum; nec enim hactenus quidquam ſimile videre potui. Vidi quidem ſæpiùs decretum de quo hîc ipſe agit, quodque infrà pagina 31. adfert, quo damnatur hæc propoſitio: *Licere per literas aut internuntium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere.* Sed vbi definiatur hoc inualidè fieri, non vidi, nec hoc cum illo eſt connexum. Nam etſi Auctores communiter fateantur, quouis caſu illicitè facturum qui ſine vllo apparatu ſacro alijſúe cæremonijs conſecraret; tamen omnes fatentur verum ſacerdotem id validè facturũ. & quamuis illa propoſitio definiretur, hæc licitè defenderetur. Sentio quidem, prout ſuprà etiam docui, eiuſmodi confeſſionem eſſe inualidam, ſed non video qua probabilitate dicatur hoc ibidem definitum.

27 Auctor autem ſecundæ diſſerta-

tio-

Digitized by Google

onis pag. 118. ait Pontificem de-
niendo eiuſmodi confeſſionem &
bſolutionem eſſe illicitas, conſe-
uenter indicare eſſe inualidas, &
ocere quocunque tempore inua-
idas extitiſſe. Quod vt probet, ait:
*Nec habet locum in hac materia aſſerere
uòd multa prohibentur, quæ facta te-
ent. licet enim ex natura rei non eſſet
aſſa & inualida talis confeſſio & abſo-
utio: poſt hanc tamen prohibitionem,
qui confitetur abſenti per epiſtolam ad-
erſatur Summi Pontificis obedientiæ,
ncurrit excommunicationem, & im-
mane ſacrilegium committit: & ex con-
ſequenti abſolutionis forma ſuper mate-
iam cadit indebitam ſeu indiſpoſitam,
quo fit inualidum eſſe Sacramentum.*

Sed nec hîc minùs à ſcopo aber- 28
rat. Primò, quia aliud eſt ex prohi-
bitione Pontificis ſequi eiuſmodi
abſolutionem eſſe inualidam, quod
vt ſummum eius ratio probat: aliud
verò, Pontificem etiam cõſecutiuè
hoc docere: præſertim cùm ſecun-
dùm eum diſcurrendi modum in-

ualiditas abſolutionis ſequatur ſolùm per accidens ex ea prohibitione; nec ſemper ac generatim, vt infrà oſtendam. Secundò, quia illa ratio nullo modo probat eiuſmodi abſolutionem quocunque tempore fuiſſe inualidam (prout ſuprà docuerat Pontificem definiuiſſe) ſed ſolùm poſt illam prohibitionem. Tertiò, quia ſolùm probat eſſe inualidam quando pœnitens mala fide, ſiue ſciens, aut ex culpabili ignorantia illius prohibitionis ita confitetur, quia tunc ſolùm peccat; ſecùs autem eſſe, quando inculpabiliter eam ignorat (quod indoctis ſępiſſimè poteſt cõtingere) quia tunc contra eam confitendo non peccat, & conſequenter poteſt ad abſolutionem bene eſſe diſpoſitus, adeoque validè abſolui, ſi aliud non obſtet. Ex quo ſequitur, eam rationem ſolùm probare, ex huiuſmodi prohibitione ſequi, talem abſolutionem quandoque & per accidens eſſe inualidam.

Quin-

Quintò,pag.18.accuſat P.Suarem 29
: me,quòd falſò dixerimus ſenten-
iam quæ docet, in neceſſitate lice-
é confiteri abſenti & ab eo abſolui,
uiſſe olim valdè communem inter
Thomiſtas. Pro quo pag.15. notat
Primò,veteres Thomiſtas tenuiſſe
liquas opinionesS. Thomæ & ve-
itati non ſatis conſentaneas: par-
im quia carebãt correctis D.Tho-
næ operibus; partim quia ſeque-
antur ſententias tunc in ſcholis
eceptas. Secundò, conatur proba-
re auctores pro eâ citatos eam non
tenuiſſe.

De Paludano id probat:quia cùm 30
dixiſſet illud in neceſſitate eſſe lici-
tum,ſubdit: *Quòd tunc valet abſolutio*
plus quàm ſi confeſſio fieret laico. atque
ita clarè oſtendit eo caſu non con-
fici Sacramentum,quia aliàs omni-
no abſurda & Theologo indigna eſ-
ſet locutio: ſicut abſurdè quis dice-
ret, vtiliùs nos confiteri ſacerdoti
præſenti & ſacramentaliter abſol-
uenti,quàm laico.quia inter has cõ-
feſſio-

feſſiones nec in ratione Sacramẽti, nec in virtute remittendi peccata poteſt vlla eſſe comparatio.

30 De S. Antonino idem probat, quia hic ſolùm refert ſententiam Paludani docentis licere ita confiteri & abſoluere: & deinde ſubiungit, conſulendum non eſſe vt confeſſio ita fiat. quo ſignificat ſe eam non ſequi. Idemq́ue dicit de Silueſtro. Et ſimili ferè ratione conatur aliorum ſententiã explicare, vt aut ſolùm attulerint ſententiam Paludani, nec ſecuti ſint; aut vt intelligendi ſint de confeſſione & abſolutione non ſacramentali. tandemq́ue ait ſolum Petrum de Soto ex Thomiſtis eam ſentẽtiam tenuiſſe.

Tertiò, ex dictis infert, dictã ſententiam non poſſe dici communem inter Thomiſtas, tum quia plerique ex dictis non conſentiunt, tum quia in meo tractatu de Sacramentis in præfatione ad lectorẽ, ſecutus Nauarrum dico, eam ſententiam non debere dici communẽ, quam pluri-

mi

ni alter ex altero deſcribunt; ſed
quam ſuis vtrimque momentis li-
bratam docti aliqui maturo iudicio
complectuntur, firmiſque rationi-
bus ſtabiliunt.

Tandemque ſubdit, recentiores
quoſdam eam ſententiam paſſim in
ſcholis & concionibus propugnaſ-
ſe, & paucos quidẽ eam typis man-
daſſe, fuiſſe tamẽ inter recentiores
communem; ac pro ea citat Emma-
nuelem Sa, & Henriques, vt inſi-
nuet eos recentiores fuiſſe ex no-
ſtra Societate.

Sanè quòd viros ſui Ordinis, & 31
quidem illuſtres beneque de Eccle-
ſia ac Theologia meritos conetur
purgare, omnino laudo; nec hîc ei
vel minimum contradixiſſem, niſi
P. Suarem & me falſitatis nomina-
tim accuſaſſet, & homines Societa-
tis conatus fuiſſet huius opinionis
tanquam inter eos cõmunis facere
propugnatores. Imò nec eos quos
citaui in meo opere de Sacramentis
citaſſem, niſi ſæpè in diſputationi-
bus

bus fuiſſet nobis obiectũ,eos à quibuſdam ex noſtris falsò pro ea ſententia citari. Quare hîc puto quædam diſcutienda,vt Lector ea faciliùs intelligat.

32 Primò,ſi vnus ſolùm aut alter ex Thomiſtis eam ſententiam tenuit, quid opus fuit reddere rationem cur veteres Thomiſtæ à S. Thoma & veritate diſceſſerint, cùm verbo potuiſſet negare eos hac ex parte (de qua ſola agebatur) diſceſſiſſe? Item, ſi quicunque ita diſceſſerint ſint excuſandi, quia aliorum auctoritatem ſine vlteriori inquiſitione ſecuti ſint; cur non ſimili ratione excuſat Sa & Henriques, qui illorum quos excuſat auctoritate, in eam opinionem ſunt inducti?

33 Quòd autem auctores citati verè eam ſententiam docuerint,tam eſt perſpicuum eos attentè legenti, vt ante eam Clementis damnationem nemo de eo dubitarit, cùm paſſim pro ea citentur. Quod vt clariùs adhuc oſtendam, paucis ſoluã

ra-

tiones contrarias. Ad rationem
itur pro Paludano allatam, nego
de vel probabiliter ſequi, eum
nſiſſe talem abſolutionē non eſſe
cramentalem: nec eiuſmodi locu-
ɔ etiam hoc poſito poteſt dici ab-
rda, præſertim pro illo tempore,
ıo erat frequens vſus in abſentia
cerdotis confitendi laico, & cùm
'tcum alijs docet S. Antonin. p. 3.
t. 14. c. 19 §. 9.) plurimi præcipuam
m, quam habet confeſſio, ſatisfa-
endi pro peccatis, & cur à Deo
ſet præcepta, ponerent in erube-
entia, quam pœnitēs ſponte ſuſci-
t confitendo ore alicui præſenti
ıa peccata; quæ non eſt tanta, quā-
o quis abſenti, aut etiam præſenti
er literas confitetur. Hinc poterat
ideri dubium, an confeſſio ita fa-
:a abſenti, etſi eſſet ſacramentalis,
lus valeret quàm confeſſio præ-
nti laico facta. cui dubio Paluda-
us reſpondens ait, confeſſionem
a factam ſacerdoti plus valere quā
ctam laico. quod generatim &
per

per ſe loquendo non eſt verum, niſi illa ſit ſacramẽtalis. Quòd autem ibi agat de confeſſione & abſolutione ſacramentali, ſinè præiudicio legenti clarum eſt. nam patet apertè eum ibi intendere definire confeſſionem ſacramentalem, vt etiam Auctor ſecundæ diſſertationis concedit, nec puto à quoquam negari. Dicitque in ea definitione eam debere fieri coram ſacerdote. quod mox dicit intelligendum eſſe quando fieri poteſt; ſecùs autẽ eſſe, quando id fieri non poteſt. atque inde infert in hoc caſu pœnitentem non quidem teneri, poſſe tamen, per litteras abſenti confiteri, & ſimiliter ab hoc abſolui. Quę doctrina & nugatoria & perturbatiſſima eſſet, ſi in ea eiuſmodi æquiuocatione vteretur.

34 De S. verò Antonino & Silueſtro clarum ſimiliter eſt, eos referre ſententiam Paludani vt probabilem. quod, vt alia omittam, patet vel ex ipſa ratione quâ ille Auctor conatur

pro-

obare contrariũ, ſi hæc non mu-
lata, prout ab ipſo refertur ſed in-
grè referatur. Aiunt enim illi eiuſ-
modi confeſſionem non eſſe mul-
ım conſulendam, non quia non
ſt, aut non videtur eſſe ſacramen-
alis (quam tamen rationem debu-
ſſent addere, ſi putaſſent eam eſſe
eram) ſed quia ea ſcriptura poſſet
ortè ab alijs reperiri, & ita oriri
candalum. Dum igitur ob hanc ſo-
am rationem, non autem ob defe-
ctum alicuius neceſſarij ad ratio-
nem Sacramenti, dicunt eiuſmodi
confeſſionē non eſſe conſulendam,
nſinuant ſe nullum eiuſmodi defe-
ctum agnoſcere.

Quod ad tertium attinet, Nota Primò, duplici ratione ſententiam aliquam dici communē. Primò, in ordine ad auctoritatem ei concili- andam, ita vt debeat cenſeri teme- rarium ſine grauiſſima ac omnino euidenti ratione ab ea diſcedere. Secundò, vt ſolùm quis intendat dicere eam ſententiam à longè ma-

35 *Duplici ſenſu aliqua ſententia dicitur communis.*

iore parte Auctorum teneri. Priore ſenſu non debet dici cõmunis, quæ caret illis conditionibus, quas cum Nauarro & Sanchio in dicta præfatione requiro: quæ planè impertinentes ſunt vt ſecundo modo dicatur communis.

36 Nota Secundò, longè eſſe aliud abſolutè dicere, aliquam ſententiã eſſe communem Doctorum: aliud dicere, eam eſſe valdè communem inter auctores talis vel talis generis, v.c. inter Thomiſtas aut Scotiſtas. Priore modo loquendi, niſi aliud ex adiunctis colligatur, ſignificatur communiter eam ſententiam eſſe communem priore ſenſu; ſecundo verò modo ſolùm dicitur multos ex eo genere auctorum eam tenere: quod poteſt eſſe verum, etſi hi ſine vllo examine aut fundamento eam teneant. Clarum eſt autem me tomo 2. de Sacramentis diſp. 4. nu. 68. non priore ſed ſecundo modo loquendi vti, atque tam ex ibidem, quàm hîc dictis id eſſe verum. præ-

ſertim

rtim cùm pauciſſimi, qui circa ea
mpora vixerint, poſſint pro con-
aria ſententia citari. Nec refert
uòd poſtea multi viri doctiſſimi ex
o Ordine hanc ſententiam acriter
npugnarint: cùm hoc enim opti-
nè cōſiſtit, quòd olim antequam hi
iligentiùs veritatem excuterent,
am plures tenuerint, atque ita po-
uerit dici inter eos valdè commu-
ıis, ſiue eſſe plurimorum, præſer-
im cùm Petrus Soto id expreſſè
ſſerat.

Ex quibus patet Primò, me im- 37
meritò accuſari falsò dixiſſe eam
ententiam olim fuiſſe valdè com-
munem inter Thomiſtas. Secundò,
mpertinenter contra me citari,
quæ cum Nauarro & Sanchio in
præfatione dixi diſputans quæ ſen-
tentia debeat dici communis: cùm
hæc ad rem præſentem non perti-
neant. Tertiò, immeritò Societatē
inſimulari, quaſi ante decretū Cle-
mentis inter nos hæc ſententia fue-
rit communis, cùm duo ſolùm poſ-

ſint pro ea citari, & quidem qui in eam fuerunt inducti auctoritate aliorum: & præcipui quique ex noſtris Auctoribus contrariam ſententiam ſint ſecuti, etiam ante decretum Clementis: vt patet ex Toleto li.3. Inſtruct. ſacerdot. c.6. Valentia tom.4. diſp.7. q.11. puncto 1. §. *Quod autem.* Bellarmino de matrimonio l.1. c.8. §. *Ad ea quæ.* Suare tom. 4. in 3.p. diſp. 19. ſect. 3. n. 7. vbi teſtatur ſe anno 1588. Compluti, & anno 1598. Conimbricę docuiſſe, eſſe de eſſentia formæ, vt à præſente verbis proferatur.

38 Sextò, cùm pag. 11. obieciſſet ſibi Rituale Romanũ iuſſu Pauli V. editum, quod agens de Sacramento pœnitentiæ expreſsè docet, moribundum, qui per ſe vel per alios deſiderium confitendi oſtenderit, debere abſolui, ſi voce aut etiam ſenſu iam deſtitutus aliter confiteri nequeat. Pag. 71. reſpondet illud *priuati Doctoris operâ confectum, huius auctoritatem non excedere: nec conſenſum*

aut

ut iuſſionẽ Pontificis vt ederetur, conferre vllum pondus rebus in eo præſcriptis; tum *quia non præceſſit ſerium ac ſufficiens Theologorũ examen*: tum *quia Pontifex non intendit præiudicare communibus ac receptis ſententiis ſcholarũ.* Additque ſexcenta ſe adferre poſſe exempla (quibus ſcilicet iam dicta poſſet probare) niſi breuitati conſuleret. Deinde ne videatur hæc finxiſſe, vnicum ex ſexcentis adfert, ſcilicet aduerſarios non ſemper cõſentaneè docere doctrinæ Catechiſmi Trid. aut Ritualis iuſſu Pauli V. editi. Quod ait meridiana luce clarius eſſe, ac ijs ſæpè in diſputationibus à ſe obiectum, ac tandem ſubdit: *Monemus deinde, præfati manualis correctorem non ſatis aduertiſſe, quid ipſemet Pontifex Paulus V. vnà cum Illuſtriſſ. Card. cenſuerit de doctrina illa tradita à Suare.* Quibus verbis ſignificat, dictum Rituale continere doctrinam ab ipſo Paulo V. in Cardinalium concilio damnatam.

Quæ vt clariora ſint, notanda hîc 39

quædam ſunt, quæ habentur in bulla Pauli V. illi Rituali pręfixa. in qua cùm Pontifex narraſſet diligentiâ Pij V. & Clementis VIII. correcta fuiſſe Breuiarium, Miſſale & Pontificale, ſubdit: *His ita conſtitutis reſtabat vt vno etiam volumine comprehenſi, ſacri & ſinceri Eccleſiæ Catholicæ ritus, qui in Sacramentorum adminiſtratione aliiſq́ Eccleſiaſticis functionibus ſeruari debent ab iis qui curam animarum gerunt, Apoſtolicæ Sedis auctoritate prodirent: ad cuius voluminis præſcriptum, in tanta Ritualium multitudine ſua illi miniſteria, tanquam ad publicam & obſignatam normam peragerent; vnóque ac fideli ductu, inoffenſo pede ambularent cum conſenſu.* Et infrà:

Vt autem rectę & ordine, vt par erat, res ageretur, nonnullis ex venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus pietate, doctrina & prudentia præſtantibus eam curam demandauimus, qui cum conſilio eruditorum virorum, variiſq́, præſertim antiquis, & quæ circumferuntur Ritualibus conſultis, &c.

re-

Digitized by Google

:búſque omnibus maturè conſideratis, emum diuinâ aſpirante clemētia, quan- a oportuit breuitate Rituale confecerūt. In quo cùm receptos & approbatos Ec- cleſiæ ritus conſpexerimus, illud ſub no- mine Ritualis Romani meritò edendum publico Eccleſiæ Dei bono iudicauimus.

Deinde omnes hortatur, *vt in poſte- rum tanquam Eccleſiæ Romanæ filij, eiuſ- dem Eccleſiæ omnium matris & magi- ſtræ auctoritate conſtituto Rituali in ſa- cris functionibus vtantur, & in re tanti momenti, quæ Catholica Eccleſia & ab ea probatus vſus antiquitatis ſtatuit, in- uiolatè obſeruent.*

40 Vbi notanda Primò, illa verba, *Vt vno etiam*, &c. *Apoſtolicæ Sedis au- ctoritate prodirent:* quibus ſignifica- tur, ea quæ Rituali hoc præſcribun- tur in Sacramentorum adminiſtra- tione ſeruanda (inter quæ eſt illud, *vel etiam ſi confitendi deſiderium ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit*, ſcilicet moribundus, *abſoluendus eſt*) Apo- ſtolicæ Sedis auctoritate prodire. Item hæc: *Ad cuius voluminis præſcri-*

 ptum

ptum; &c. *ſua illi miniſteria tanquam ad publicam & obſignatã normam peragerent, vnóque ac fideli ductu inoffenſo pede ambularent*. Vbi Pontifex hoc Rituale vocat *publicam & obſignatã* (id eſt publica auctoritate, quæ nõ eſt alia quàm Sedis Apoſtolicæ, probatam) *normam*, cuius fidelem ductum ſequentes *inoffenſo pede* ſiue ſine errandi periculo ambularent. Tertiò, hæc: *Vt autem rectè & ordine*, &c. vbi Pontifex teſtatur, hoc Rituale operâ Illuſtriſſim. Cardinalium doctrinâ & prudentiâ præſtãtium, cum conſilio eruditorum virorum, rebus maturè conſideratis confectum eſſe.

Quartò, hæc: *In quo cùm receptos*, &c. vbi Põtifex indicat hoc Rituale à ſe conſpectum, ſéque in eo conſpexiſſe approbatos Eccleſiæ ritus, ideoq; ſe iudicaſſe ſub nomine Ritualis Romani edendum.

Quintò, hæc: *Vt in poſterum*, &c. vbi Pontifex teſtatur, hoc Rituale auctoritate Eccleſiæ omnium matris

is ac magiſtræ eſſe conſtitutum.
ac in eo contenta (in quibus eſt ab-
olutio moribūdi, quam ille auctor
oppugnat) eſſe ab Eccleſia Catho-
lica & antiquitatis probato ritu ſta-
tuta. ideoque omnes hortatur, vt
ea inuiolatè obſeruent.

Rurſum ex dictis in illa diſſerta- 41
tione pa. 71. notanda ſunt primùm
hæc verba: *Rituale illud alicuius priua-
ti Doctoris operâ confectū eſſe, & huius
auctoritatem non excedere.*

Item hæc: *Neque conſenſus Ponti-
ficis aut iuſſio vt conſcriptum fuerit &
euulgatum, confert pondus aliquod rebus
quæ in eo præſcribuntur.*

Deinde videndum, quomodo
hæc conſentiant: *Hoc Rituale prodiit
auctoritate Sedis Apoſtolicæ,* & *confectū
eſt ſiue prodiit auctoritate hominis pri-
uati.* Item hæc: *Hoc Rituale eſt publica
& obſignata* (ſiue publica auctorita-
te Sedis Apoſtolicæ tanquā ſigillo
probata) *norma;* & hæc: *Hoc Rituale
non excedit auctoritatem Doctoris pri-
uati: nec iuſſio Pontificis vllum pondus*

in eo conſcriptis addit. Certè priuati doctoris auctoritas nequit conſtituere normam publicam: nec iuſſio Pontificis poteſt eam obſignare, ſiue ſuo quaſi ſigillo approbare ac auctorizare: imò nec publicã normam efficere, niſi ei aliquod pondus addat.

Tertiò, notanda ſunt hæc verba: *Tum quia non præceſſit ſerium ac ſufficiens Theologorum examen*, ſcilicet editionẽ illius Ritualis. quæ directè contradicũt his verbis Pontificis in bulla: *Qui* (ſcilicet Cardinales doctrina & prudentia præſtantes) *cum conſilio eruditorũ virorum*, &c. *rebuſq́ omnibus maturè cõſideratis*, &c. *Rituale confecerunt*. ſanè hæc duo nequeũt ſimul eſſe vera. Videat igitur Lector cui potiùs credendum, an Pontifici publicã fidem de re coram ſe geſta facienti, an Auctori illius diſſertationis abſenti, de ea diuinanti. Item quàm apertâ veritate illa nitatur ſententia, quæ vt defendatur, vera Pontificis bulla debet credi falſa.

Quar-

Quartò, in dicta diſſertatione pag. 72. notanda ſunt hæc verba: *Monemus deinde præfati manualis correctorem*, &c. Vbi apertè arguit Auctores dicti Ritualis, quòd non fuerint ſatis memores cenſuræ ab eodẽ Paulo V. & Illuſtriſſimis Dominis Cardinalibus datæ circa quandam explicationẽ decreti Clementis VIII. ſignificans ea, quæ Auctores dicti Ritualis in hoc docẽt circa abſolutionem moribundi, eſſe damnata tum à Paulo V. & Illuſtriſſimis Cardinalibus, tum etiam à Clemente VIII. quod toto cap. 7. præcipuè intendit probare. 42

Ex quibus ſequitur Primò, Illuſtriſſimos Cardinales doctrinâ & prudentia præſtantes, & conſequẽter in rebus arduis & difficilibus doctrinæ quæſtionibus enodandis adhiberi ſolitos, & quos moraliter certò credas fuiſſe illos, qui ſuper iudicanda illa explicatione decreti Clementis VIII. fuerunt adhibiti, immemores ſuæ aut ſaltem colle- 43

garum

garum ſuorum cenſuræ ita publicę, ita paruo temporis interuallo datæ, ſententiam paulò antè hac notatã propoſuiſſe omnibus toto orbe cõfeſſarijs ſequendam. Inſignis hæc ſanè tantorũ virorum nota. Quanto conſultius faceret, ſi ex eo quòd dicti Illuſtriſſimi Cardinales in illo Rituali noſtram ſententiam omnibus in praxi ſequendam propoſuerint; colligeret hanc vt minimùm eſſe probabilem ac in praxi omnino tutam eſſe, nec vllo modo repugnare illi cenſuræ. Quamuis hoc ex ſupradictis ſatis per ſe pateat. Cùm enim apertè oſtendam in caſu controuerſo & cõfeſſionẽ fieri præſenti, & abſolutionẽ præſenti impendi; noſtra ſententia nullo modo poteſt vel apparẽter aduerſari decreto Clementis, ſiue hoc intelligatur cõiunctiuè ſiue diſiunctiuè; & conſequenter etiam nulla ratione poteſt aduerſari cenſuræ Cardinaliũ.

44 Secundò, publicam & obſignatam normam Sedis Apoſtolicæ auctori-

ctoritate, teſte Summo Pontifice prodeuntẽ, vt ad eius præſcriptum Paſtores ſua miniſteria peragant, & cuius fideli ductu inoffenſo pede ambulent, in qua Pontifex teſtatur ſe conſpexiſſe receptos & approbatos Eccleſiæ ritus; continere ſententiam non modò falſam, & quam inoffenſo pede ſequi nequeas, ſed etiam recenti cenſurâ notatam.

Tertiò, Pontificem nos hortari, vt eiuſmodi ſententiam ita recenter cenſuratam, tanquam Eccleſiæ omnium matris ac magiſtræ auctoritate conſtitutam ac probatam inuiolatè obſeruemus. Credo, ſi Auctor illius cenſuræ dictam bullam vidiſſet, futurum fuiſſe, vt modeſtiùs de illo Rituali, eiuſque auctoribus loqueretur.

Nec ea quæ pro ſe in hunc finem ille Auctor adfert, vlla ratione ſuprà dicta excuſant. Primò, quia aliud eſt aliquem librum prodire in lucem Pontificis permiſſu, aut etiã iuſſu (qua ratione videtur prodiiſſe Ca- 45 *Quam, & qua ratione Pontifex cõferat auctoritatẽ libro ſuo iuſſu vel auctoritate edito.*

Catechiſmus Trident.) aliud verò Pontificem velle eum prodire auctoritate Sedis Apoſtolicæ tanquã publicam normam, obſignatam & à ſe conſpectam continere ritus approbatos, quamque ipſe ideo teſtetur eſſe talem, quam omnes inoffenſo pede ſiue ſine periculo errandi ſequantur, quamque cupit ab omnibus inuiolatè obſeruari, vt cõtingit dicto Rituali. Quamuis igitur in priore caſu eiuſmodi liber ſine nota Pontificis poſſit fortè continere aliqua improbanda; difficile tamen eſt videre, quomodo id in ſecundo caſu fiat, præſertim in re iuſſu Pontificis explicanda, ac nobis vt eam ſequamur proponenda, vt ex dicendis patebit.

46 Secundò, quia, etſi fortè Pontifex illâ ſuâ bullâ noluerit tanquam omnino certa, & quibus ſine errore contradici non poſſet, omnia in dicto Rituali cõtenta definire, atque ita nollet damnare, ſi quę in ſcholis præſertim in rebus ſpeculatiuis eſſent

ſent contrariæ receptæ ſententiæ; tamen hinc non ſequitur, eum permittere alijs libertatem damnandi ea quæ in dicto Rituali cõtinentur, aut dicendi ea à Sede Apoſtolica damnata eſſe, aut non eſſe ſaltem probabilia.

Vnde patet, longè aliam eſſe cauſ- 47
ſam eorum qui negant nos in omnibus noſtris actionibus à Deo prędeterminari vt hoc vel illud agamus: quod dictus Auctor vult repugnare apertæ doctrinæ Catechiſmi Tridentini, in quo, vt aliqui putant, eiuſmodi prædeterminationes aſtruuntur. Alia, inquam, horum eſt ratio, Primò, quia hæc quæſtio de prædeterminationibus eſt merè ſpeculatiua, nec ad mores aut articulos fidei (quos Auctor Catechiſmi ex cõmiſſione Pontificis explicandos ſuſceperat) ſpectans; quare ad finem propoſitum erat impertinens. Et ad hunc quidem pertinebat docere, Deum non modò omnia ab initio creaſſe, ſed etiam modò

Qua ratiõne Pontifex probans aliquem librũ, iubénſque eum edi, probet in eo contenta.

dò omnia gubernare ſuâ prouidentiâ, ſuaque virtute cõſeruare, atque omnibus cauſſis operantibus cooperari, adeò vt nec ſine eo conſeruante eſſe, nec ſine cooperante agere poſſint: hæc enim exponere ad Catechiſtam ſpectat. An autẽ hoc vltimum fiat concurſu prædeterminante an ſimultaneo, non ad Catechiſtam, ſed ad Philoſophum aut Scholaſticũ ſpectat explicare. Sicut docere, ſolem, lunam ac ceteros planetas à Deo eſſe creatos, ad Catechiſtam ſpectat; an autem ſinguli ſuos habeant orbes, an verò per liquidum voluantur, ad Philoſophũ ſpectat. Quare ſi quid ille hac de re inſeruit, ex accidente ſiue incidenter ſuam ſententiam explicando fecit. Quæ autem eo modo alicui libro inſeruntur, nullo modo ab eo, cuius auctoritate aut iuſſu ille conſcribitur, aut etiã approbatur, tanquam credenda aut ſequenda proponuntur aut approbantur: ſed vt ſummum tanquam nihil continentia

a quod repugnet manifeſtæ do-
rinæ fidei aut morum. Ideoque
icta doctrina de prædeterminati-
nibus non magis debet dici nobis
Pontificis iubentis edi illum Cate-
chiſmum auctoritate tanquam am-
plectenda propoſita, quàm explica-
tio ſphæræ cæleſtis diceretur ita
propoſita, ſi eius auctor docendo
cælos à Deo eſſe creatos, inſeruiſſet
ſuam ſententiã de numero orbium
cæleſtium, epicyclis ac excentricis.

Secùs omnino eſt de doctrina il- 48
lius Ritualis circa abſolutionẽ mo-
ribundi, qui dicẽs ſe dolere de pec-
catis petit ſacerdotem cui confite-
atur, & antequam hic veniat perdit
omnino vſum rationis: quem dum
præſentibus illud atteſtantibus di-
cit abſoluendum eſſe; proponit do-
ctrinam practicam ad rem propoſi-
tam maximè pertinentem, & ad
Cõfeſſarios inſtruendos ex Ponti-
ficis mandato directam, atque ita
eſt ſimilis doctrinæ qua Catechi-
ſmus docet res omnes à Deo creatas

Digitized by Google

eſſe,& ab eo conſeruari, & eo cooperante agere, abſtrahendo à modo quo hæc fiunt.

Secundò, quia aliud eſt in aliquo ab eiuſmodi libro diſſentire, aliud verò eius ſententiam accuſare tanquam à Pontifice recenti cenſura damnatam, prout dictus Auctor accuſat ſentẽtiam illius Ritualis. Tertiò, quia, vt iam oſtendi, illud Rituale non ſolũ eſt iuſſu Pontificis editum, ſed ab eodem particulari ad hoc edita bulla probatum.

49 His adde, ſententiam illius Catechiſmi non eſſe ita claram pro prædeterminationibus, quin facilè in alium ſenſum explicari poſſit, atque adeò neceſſariò debeat, ne apertè abſurdum ſenſum habeat. Verba illius in explicatione primi articuli Symboli n. 20. ſunt hæc: *Quæ mouentur & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit*, ſcilicet Deus, *vt, quamuis ſecundarum cauſſarum efficientiam non impediat, præueniat tamen*, &c. Quod dupliciter

ter

poteſt intelligi. Primò, vt Deus
atur cauſſas ſecundas ad agen-
m impellere & præuenire ratio-
virtutis agendi quam ijs indidit:
ıa ratione generans etiam iam
idem corruptum dicitur corpus
aue mouere deorſum ratione
auitatis, quã ei indidit. & ſic nihil
cit pro prędeterminationibus, &
ic loquendi modus, vt patet in ex-
mplo allato & multis alijs, eſt ſatis
ſitatus, præſertim Ariſtoteli & D.
homæ. Secundò, vt illius Cate- 50
hiſmi Auctor velit Deum peculiari
c actuali impulſu ſingulas cauſſas
lum agunt impellere, vt id agant
quod de facto agunt. & hoc non vi-
detur dici poſſe; quia ſic impelleret
eas ad odio habendum Deum, bla-
ſphemandum, &c. Quæ non credo
Catholicum admiſſurum: nam, etſi
ij, quibuſcum nobis controuerſia
eſt, aſſerant Deum peccantes præ-
determinare ad phyſicum actum,
v.c. odij Dei; tamen non credo eos
admiſſuros, Deum quemquam

impellere vt oderit Deum. Niſi tamen Auctor illius diſſertationis hoc admittat, malè omnino hunc locum Catechiſmi nobis obijcit.

51 Eodem loco nobis obijcit, nos etiam quædam docere minùs conſentaneè eidem Rituali; quæ cùm non iudicet eſſe talia vt operæ ſit pretium ea proponere, nihil eſt cur teneamur ea refellere: quia tamen puto me illa coniectura poſſe aſſequi ex ijs quæ alij nobis obijciunt, ea ipſe proponam.

Cum D. Thoma in 4. d. 26. a. 1. ad 1. & communi Theologorum ſententia docemus, miniſtros Sacramenti matrimonij eſſe, non ipſum ſacerdotem huic aſſiſtentem, ſed ipſos contrahentes. Quod quidam, quos refutaui tom. 2. de Sacramentis in vltima editione diſp. 24. dub. 3. quæ infrà etiam adferam, putant repugnare ijs quæ habentur in præfatione dicti Ritualis, vbi dicitur: *Ceterùm illorũ tantùm Sacramentorũ, quorum adminiſtratio ad Parochos pertinet,*

tinet, ritus in hoc opere præſcribũtur: cuiuſmodi ſunt Baptiſmus, Pænitẽtia, Euchariſtia, Extrema vnctio, Matrimoniũ. Vbi dicitur adminiſtrationem Sacramenti matrimonij pertinere ad Parochum, & conſequenter eum huius Sacramenti eſſe miniſtrum. Sed hanc conſequentiam eſſe nullam ſatis oſtendi loco iam citato in reſponſione ad 17. Nec enim Auctores illius Ritualis aut illo loco, aut etiã vlla illius libri parte intendebãt docere quinam eſſent miniſtri Sacramenti matrimonij (de quo inter Doctores iam eſt quædam controuerſia, à quibuſdam neotericis contra antiquorum omnium opinionem, vt loco citato oſtendi, excitata) hoc enim ad finem ab iis aut etiam à Pontifice intentum erat omnino impertinens; ſed iis ſolùm erat propoſitum inſtruere Parochos circa ritus in adminiſtratione ſiue diſpenſatione Sacramentorum obſeruandos, qui planè iidem ſunt, & eodem modo adhibendi, ſiue mini-

Digitized by Google

ſter Sacramenti ſit Parochus, ſiue contrahentes.

52 *Quo ſenſu ſacerdos dicatur miniſtrare Sacramentum matrimonij.*

Numeratur igitur ibi matrimonium inter Sacramẽta quorum adminiſtratio ad Parochum pertinet, non quòd ipſe hoc Sacramentum conficiat, ſed quia contrahentes in eo conficiendo ac ſuſcipiendo debet dirigere, eiſque benedicere; aliosque ſolennes ritus ab Eccleſia in matrimonio præſcriptos adhibere, atque ita contrahentibus aſſiſtere, vt aliàs inualidè id conentur cõficere ſiue contrahere. Et hoc ſenſu dicitur, hoc ijs adminiſtrare ſiue diſpenſare; quia ſcilicet ſuâ aſſiſtentiâ efficit vt illud validè ac legitimè ſuſcipiant. Quòd autem ibi adminiſtratio Sacramenti nequeat generatim accipi pro eiuſdem confectione, patet: quia Parochi in illo Rituali non inſtruuntur quomodo debeant conficere ſiue conſecrare Venerabile Sacramentum, ſed quo ritu illud ægris debeant dare ſiue adminiſtrare, quo tẽpore hoc nullo

modo

Digitized by Google

modo conficiunt. Et ſimiliter ibidem dicitur adminiſtratio Sacramenti matrimonij pertinere ad Parochos, non quòd debeant id conficere; ſed quòd modo iam dicto debeant contrahentes, concedendo aut negando ijs ſuam aſſiſtentiã, ad id ſuſcipiendum admittere, aut ab eo repellere, atque ea ratione hoc illis diſpenſare, & in eius ſuſceptione eoſdem dirigere. Ex quibus patet, ex his nullum omnino argumentum contra communem ſententiam poſſe deſumi.

Septimò, pag. 68. diſtinguit opinionem in eam quæ ſolùm ſpeculatiuè, & eam quæ etiam practicè probabilis eſt. Speculatiuè probabilem definit: *Quæ quatenus in ſcholis & in communi diſputatur, habet fundamenta apparentia, quæ ſufficiant vt intellectus ei adhærere poſſit*. Vt autem practicè ſit probabilis, ait inſuper neceſſarium eſſe, *vt communiter etiam ab iis, qui eam veram eſſe non ſentiunt, exiſtimetur abſque peccato poſſe in-* 53

re & executione poni. Sed neſcio apud quos hanc definitionem repererit, aut quo fundamento nitatur. Et vel inde monſtratur inconueniens, quòd ex ea ſequeretur, quamuis omnes alij Doctores iudicarent ac firmis rationibus probarent, in caſu de quo agimus validè & licitè moribundũ abſolui, & omnes Eccleſiæ Prælati id facerent; quamdiu tamen liberet aduerſarijs id negare, illam ſententiam non fore practicè probabilem, nec quemquam licitè in praxi illam poſſe ſequi. Quod non credo facilè alicui perſuadendum.

54 *Quæ ſententia ſit practicè probabilis.* Practicè igitur debet illa ſententia dici probabilis, quam aut ſufficientia argumenta, aut grauium Doctorũ auctoritas (ſaltem quando contra hos non militat aperta ratio, quæ contrarium conuincat) ſuadent eſſe talem, probando ſiue aſſerendo nos licitè eam in operando ſequi. quod magis patebit ex dicendis infrà.

Nec

Digitized by Google

Nec melius ſubiungit exemplum ſententiæ practicè probabilis. ſcilicet licere iudici abſoluere publicè probatum reum, priuatim ſibi cognitum innocentem. Legi diuerſos qui aſſerunt iudicem teneri talem non condemnare, quando agitur cauſſa non ciuilis, ſed capitalis, aut ſimilis: negant tamen ijdem, licitum ei eſſe hunc abſoluere, præſertim ſi non ſit ſummus Princeps aut ſimilis, qui etiam verè reo poſſit pœnam remittere. Vide Leſſium de Iuſtitia cap.29. dub.10. n.90. & Petrum Nauarra de Reſtitutione li. 2. c.3. nu.161. & 173. Qui diceret quod Auctor aſſerit, legi neminem.

Ait ibidem multos graues Auctores docere, quando occurrit opinionum diuerſitas, in praxi neceſſariò ſequendam ſententiam probabiliorem, modò hæc ſit etiam tutior, & illicitè facturum qui hac relictâ ſecundùm minùs probabilem operaretur. Vnde infert, malam eſſe hanc conſequentiam: *Hæc vel illa* 55

 opinio

opinio eſt practicè probabilis: ergo licet ſecundùm eam operari. Quia fallit, inquit, ſi eadem de re altera ſit probabilior. Citatq́; Caietanum in Summa verbo *Opinio.* Armillam ibidem n.2. Silueſtrum q. 1. & 2. Henricum quodlibeto 4. q. 13. Conrardum de Contract. q. vltimâ. Sotum 3. de Iuſtitia q. 6. Bañez 2. 2. q. 63. a. 4. Cordubam l. 2. q. 3.

56 Sed hæc in primis pugnant cum ſuprà data ipſius definitione. Si enim ſola illa opinio ſit practicè probabilis, quam non ſolùm illi qui eam ſequuntur, ſed etiam contrarium ſentientes communiter iudicant eſſe talem, quæ ſine peccato poſſit in re ac executione poni, ſiue ſecundùm quam liceat operari; quî fieri poteſt vt aliqua opinio ſit practicè probabilis, & conſequenter talis vt omnes communiter Doctores dicant licere ſecundùm eam operari: & tamen hoc ſit illicitum, adeoque non liceat communem Doctorum ſententiam in operando ſequi?

Digitized by Google

ſequi? Sanè videtur mihi Auctor hoc loco ſicut & alibi eius quod antè dixerat, ſuæque definitionis parum fuiſſe memor. Imò cùm hæc ſint planè idem: *Hæc ſententia eſt practicè probabilis*; &, *Licet eam in praxi ſequi*; implicat aliquam eſſe practicè verè probabilem, ſi non liceat eam in praxi ſequi.

Fieri nequit vt ſententia ſit practicè probabilis, & non liceat eam ſequi.

Auctores autem quos citat, pro eo nullo modo faciũt, imò quidam eorum apertè contrarium docent. Nam in primis Sotus & Bañez non agunt de eo, quod priuati in operando teneantur ſequi: ſed de iudicibus, & quid hi in iudicando debeant ſequi, ne ſint acceptores perſonarum. docentque quando duo ſunt, quorũ ob diuerſas iuris interpretationes ac Doctorum opiniones, vnius ius eſt probabile, & alterius probabilius; iudicem non poſſe ſequi opinionem minùs probabilẽ iudicando pro priore; ſed teneri ſequi magis probabilem iudicando pro ſecundo. Et idem docet Bañez

ñez de medico, quando duplex eſt opinio an hæc vel illa medicina ægro cõuenientior ſit, docetque eum neceſſariò debere ſequi magis probabilem. Idemque docet Siluester ſuprà, ideoque eorum dicta ad rem præſentem nullo modo pertinent.

57 Vbi Nota hæc eſſe valdè diuerſa: *Eſt probabile hanc rem eſſe Petri*; aut, *hanc medicinam profuturã ægro*. Item: *Eſt probabile iudicem licitè poſſe hanc rem Petro adiudicare*; aut, *medicum licitè hanc medicinam dare ægro*. Priores enim propoſitiones ſunt ſpeculatiuæ, ſecundæ practicæ, & illis exiſtentibus veris, ſecundæ ſæpè ſunt falſę: vt, quoties eſt probabilius eam rem eſſe alterius, aut poſitâ ferè æquali probabilitate quòd res ad Petrum ac ad alterum pertinet, hic eam poſſidet. his enim caſibus certum eſt illicitè eam priori adiudicari. Item poſito quòd ſit probabilius quòd dicta medicina oberit ægro, aut quòd per aliam commodiùs & certiùs iuuabitur; non eſt probabi-

Non quidquid eſt probabiliter meum, mihi licitè adiudicatur.

le

e illam hac relicta dari poſſe. Et hoc olùm volunt dicti Auctores; ſimilique modo intelligẽdus Caietanus. nec aliud ipſius verba innuunt. idemq; dicendum de alijs Auctoribus, ſi qui dicant nos debere ſequi ſententiam probabiliorem in re, in qua diuerſæ ſunt opiniones. Non enim agunt de ſententia immediatè practica, ſed de ſpeculatiua, ex qua practica poſſit inferri, ſcilicet: *Licitè hoc vel illud fieri poteſt.* Nam dicere probabile eſſe hoc licitè fieri poſſe, & tamen ſine peccato fieri non poſſe, eſt dicere apertè pugnantia.

Ex ſpeculatiua probabili ſapè non ſequitur practica probabilis.

58 Nauarrus verò citato c.26. ſolùm habet numeros 39. quare nequit ibi aliquid dicere nu.280. Sed fuerit hic error librarij ſcribentis c.26. pro 27. vbi Nauarrus dicto n. 280. nihil habet ſimile, ſed n.281. ait: *Quibus addo non ſemper eſſe neceſſarium partem tutiorem eligere: quia ſatis eſt quoad præcepti implementum tutam eligere.* Et infrà, cùm eadem ferè ratione, qua Silueſter ſuprà, fusè expoſuiſſet qua ratio-

Non tenemur ſemper ſequi ſententiam magis tutam magiſúe probabilem.

ratione iudices, eorumque conſiliarij tenerentur ſequi ſententiam probabiliorem, num. 288. ait: *Quòd quamuis in foro contentioſo regulariter prædicta obſeruari debeant, in foro tamẽ conſcientiæ ad effectum non peccandi ſufficit eligere pro verâ eius opinionem, quem meritò cenſemus eſſe virum idoneâ ad id ſcientiâ & conſcientia præditũ.*

59 Similiter Armilla loco ab Auctore illo citato, cùm explicuiſſet qua ratione tutior opinio eligenda ſit, ſubdit: *Et prædicta intellige de opinione, quæ eſt cum formidine alterius partis. Nam qui ſequitur vnam opinionem, & non tenet pro dubia ſed pro certa, & ſic operatur, non exponit ſe dubio, ſed pro certo tenet.* Et infrà: *Item licet aliquando vna opinio ſit melior alterâ: tamen non tenetur quis ſemper meliorem ſequi: quia non tenetur facere quod melius eſt, ſed quod bonum eſt. Ideo quando dicitur, quòd tenetur amplecti tutiorem: intelligitur quando eſt cum formidine alterius partis. Sed quando firmat ſe in opinione alicuius Doctoris, quam veram credit,*

edit, licet credat aliam opinionem eſſe
liorem, non propter hoc exponit ſe pe-
culo mortali. Ex quibus luce clariùs
tet, hos Auctores dicere directè
ntradictorium eius, pro quo ci-
ntur, ac expreſſè nobiſcum doce-
, nos licitè in operando ſequi ſen-
ntiam probabilem, etiam proba-
liore relictâ. Quã igitur bene ex-
ninati ab illo citẽtur alius viderit.
autem ſenſus Armillæ clarior ſit,
Nota, poſito quòd, perpenſis Do- 60
rum diuerſa ſentiẽtium tam ra-
nibus quàm auctoritate, iudicẽ
probabile eſſe hunc contractũ
iuſtum, meque eum licitè poſſe
e, probabilius tamen eſſe eum
iniuſtum: etſi tunc nequeam iu-
are certum eſſe eum eſſe iuſtum
c enim apertè contradicit prio-
dicio) poſſum tamen iudicare
præſertim poſita aliqua rationa-
cauſſa, licitè eum inire, & de hoc
dubitare; ſupponendo hanc
imam eſſe certam, In operan-
citè ſequor ſententiam proba-
bilem

Etſi ſolum ſit probabile hunc contractum eſſe iuſtum, poteſt eſſe certum me licitè eum inire.

bilem,nec teneor ſequi probabiliorem ſiue meliorem. Quam maximam tam Nauarrus quàm Armilla expreſſè ponunt. Etſi igitur eo caſu dubitem an ille contractus ſit verè iuſtus, atque ita ex hac parte habeam formidinem de oppoſito; tamen non dubito quin licitè eum ineam: atque ita operor ſine formidine de oppoſito, ſcilicet, an liceat mihi eum inire: de quo ſi dubitarē, illicitè eum inirem. Et hic eſt ſenſus Armillæ. Quam diſtinctionē ſi non notaueris, magnas in Auctoribus reperies tenebras.

61 Octauò, cùm pag. 10. obieciſſet ſibi noſtram ſententiam ſaltem eſſe probabilem, & conſequenter tutò poſſe deduci in praxim ab ijs qui eam tenent; pag. 66. reſpondet, eam nec poſſe dici probabilem ob rationes quibus fulcitur, quia putat ſe eas ſatis refutaſſe; neque ob auctoritatem Doctorum eam ſequentiū, quia hæc tam exigua eſt, vt nullam ei probabilitatem conferre poſſit.

Quia,

Digitized by Google

Quia, inquit, vnus ex alio ex affectu & re non ſatis librata ita docent, quod ad probabilitatem alicui ſententiæ conciliandam non ſufficere docuit Coninck præfatione, &c. Deinde ſubdit, omnem probabilitatem eidem ſententiæ detractam quòd à cõgregatione Cardinalium damnata ſit. Demum ex auctoritate Caietani, Armillæ, aliorumque quos ſuprà ex ipſo citaui, conatur probare conſequentiam illius argumẽti eſſe malam: ſiue nos non ſemper poſſe in operando ſequi ſententiam probabilem. quod quomodo ſit aſſecutus iam ſatis oſtendi.

Quòd autem argumenta, quibus antecedens probamus, ita contemnat, ſeque ſufficienter ea ſoluiſſe dicat, præſertim cùm tam mea quàm P. Vaſquez, quibus probamus ipſorum reſponſiones nullo modo conſiſtere, penitus diſſimulet: quòd etiam P. Vaſquez maximi nominis Theologum alioſque doctiſſimos viros qui eam ſentẽtiam tenent, ita 62

contemnat; an iure faciat lector iudicet. Hoc hîc diſſimulare non poſſum, meo iudicio parū decere, tum Ritualis Romani (quod fatetur noſtram docere ſententiam, quodque Pontifex in ſua, quam ei præfixit, bulla vocat publicam & obſignatam normam, Sedis Apoſtolicæ auctoritate prodeuntem, ſecundùm quam omnes Parochi, vt pede inoffenſo ambulent, omnia munia paſtoralia debeant dirigere) tum Illuſtriſſimorum Cardinalium qui ex commiſſione Pontificis cum conſilio eruditorum virorum hoc Rituale confecerunt, ac demum totius Synodi Viſenſis, tam vilem habere auctoritatē, vt nullam probabilitatem illi ſententiæ adferre poſſit. Spero nihilominus futurum, vt, poſtquam viderit S. Thomam ſuprà nu. 18. citatum tam apertè noſtram tenere ſententiam, paullo meliùs de hac eiuſque auctoribus ſentiat.

63 Quod etiam dicit, Auctores huius ſententiæ magis affectu quàm

ra-

ratione ſe mutuo ſine examine ſe-
quẽtes in eam fuiſſe inductos; item
quòd ſuam ſententiam ex ijs quæ
dixi in mea præfatione conetur
probare, quo iure id faciat, nihil eſt
cur hîc diſputem, cùm qui eos Au-
ctores vel per tranſennam inſpexe-
rit, id facilè videbit.

Nonò, pag. 70. arguit nos, quòd 64
ex eo, quòd noſtra ſententia, ſcili-
cet *licitè talem abſolui*, ſit probabilis, *Eiuſmodi moribundũ non ſolùm poſſumus, ſed etiam tenemur abſoluere.*
inferamus ſacerdotem eo caſu non
ſolùm poſſe, ſed etiam teneri talem
abſoluere, ſaltem ſub conditione.
Quod nos aſſerimus: quia cùm hac
ratione ſine vlla irreuerentia Sa-
cramenti (ſi enim ibi ſit ſufficiens
Sacramẽti materia & legitima pœ-
nitentis diſpoſitio, certum eſt nul-
lam Sacramento irrogari irreuerẽ-
tiam: ſi autem hæc deſint, deficit
conditio, atque ita ſacerdos non
modò non confert Sacramentum,
ſed ne quidem hoc tentat confer-
re, atque ita nulla poteſt ei fieri ir-
reuerentia) aut alio incommodo,

 poſ-

poſſit ſuccurri ſaluti proximi extremè aliàs periclitanti; patet caritatem nos ad hoc obligare, aut etiam ipſam iuſtitiam, ſi ſacerdos ſit moribundi Paſtor.

65 Confirmatur Primò, quia, vt oſtendi ſuprà nu. 19. c. *Si Presbyter*, & c. ſequenti. 26. q. 6. negantes talibus pœnitentiam ſiue abſolutionem à peccatis, dicuntur rei animarum, & morti mortem addere. Secundò, quia, vt multis ex canonibus & cõmuni ſententia oſtendi tomo 2. de Sacramentis q. 66. a. 9. n. 91. quando dubium eſt, an aliquis ſit baptizatus, debet iterum ſub conditione rebaptizari ob graue periculũ quod aliàs incurreret, ſi fortè non eſſet baptizatus, & Paſtor ipſius ad hoc tenetur; ergo idem dicendum eſt in caſu talis moribundi, qui niſi abſoluatur grauius periculum damnationis incurrit: nec in vno caſu magis quàm in alio exponimus nos periculo irritè conferendi Sacramentum.

Ex

Digitized by Google

Ex quibus etiam patet dictum Auctorem (quod diuerſis locis facit) malè ſupponere ſuam ſententiam eſſe tutiorem, cùm noſtra ſit tutior; nam ex hac nec ſequitur vlla irreuerentia Sacramenti, nec aliud incommodum, vt iam oſtendi. Ex altera verò ſequitur periculum damnationis moribundi, & conſequẽter periculum peccandi contra caritatem huic debitam. Quare ſecũdùm ipſius etiam principia tenemur hanc in praxi ſequi. Vide plura apud Vaſquez 1. 2. diſp. 62. c. 8. vbi ex communiore Doctorum ſententia fuſè docet nos ſępè teneri ſequi ſententiam alienam contra noſtram, quam putamus probabiliorem. 66

Sententia docens eiuſmodi moribundum debere abſolui, eſt tutior.

Quòd autem ille Auctor ibidem ac alibi ſæpè dicat noſtram non eſſe practicè probabilem, aut ſuam eſſe certam, quàm verè dicat, ex dictis, ac vtriuſque partis rationibus ſatis liquet.

67 Decimò, cùm pag. 10. ex meo libro de Sacramentis ſibi obieciſſet,

 Illu-

Illuſtriſſimos D.D. Cardinalem Bellarminum & Armacanum teſtatos fuiſſe Clementem VIII. interrogatum an moribundus in caſu de quo agimus, deberet ſacramentaliter abſolui, reſpondiſſe debere abſolui, ſeque eum abſoluturum; & hunc caſum ſuo decreto non contineri; Pagina 65. reſpondet, optare ſe vel probabilem habere coniecturam, quòd Sanctiſſimus Dominus ſimile reſponſum ad præſentem quæſtionem dederit; & ſubdit: *Omni ſanè tergiuerſatione aut interpretatione reiecta, quæ noſtris inſolens eſt, & à quouis Catholico debet eſſe aliena, agnitam veritatem ſumma animi promptitudine atque affectu amplecteremur. Neque tamen Illuſtriſſimorum Bellarmini & Armacani fidei vlla ratione detractum volumus; ſed cùm eorum teſtimonia literaſúe minimè viderimus, iis non putamus plenam fidem adhibendam eſſe, quibuſcum nobis eſt diſputatio, qui facilè ſimilia obiiciunt ſcribantq́.*

Cùm

Cùm hæc legerem miratus fui 68 potuiſſe in virum doctum cadere, vt ſperaret hæc habitura fidem apud viros cordatos quæ tam facilè poſſent redargui, præſertim ſi quis vel tenuem habuerit notitiam eorum quæ hîc Louanij publicè in oculis Vniuerſitatis geſta ſunt. Cùm enim abhinc annis circiter quatuordecim aut quindecim hæc cõtrouerſia inter ipſos & noſtros feruentiſſimè in publicis diſputationibus agitaretur, & tam ab Auctore illius diſſertationis, quàm ab eius Collegis noſtra ſententia ſępiùs oppugnaretur; illa teſtimonia fuerunt illis ſæpiùs obiecta; quàm facile tunc illi fuiſſet adire aut aliquem ex noſtris, aut Eximium D. Iacobum Baium tunc Louanij exiſtentem, ad quem Illuſtriſſimus Armacanus etiam ſuum teſtimonium miſerat; vnumque ex dictis teſtimonijs petere, illudque inſpicere ac examinare? quàm facilè fuiſſet literis ad Illuſtriſſimum Armacanum, aut ad ali-

Illuſtriſſimos D D. Cardinalem Bellarminum & Armacanum teſtatos fuiſſe Clementem VIII. interrogatum an moribundus in caſu de quo agimus, deberet ſacramentaliter abſolui, reſpondiſſe debere abſolui, ſeque eum abſoluturum; & hunc caſum ſuo decreto non contineri; Pagina 65. reſpondet, optare ſe vel probabilem habere coniecturam, quòd Sanctiſſimus Dominus ſimile reſponſum ad præſentem quæſtionem dederit; & ſubdit: *Omni ſanè tergiuerſatione aut interpretatione reiecta, quæ noſtris inſolens eſt, & à quouis Catholico debet eſſe aliena, agnitam veritatem ſumma animi promptitudine atque affectu amplecteremur. Neque tamen Illuſtriſſimorum Bellarmini & Armacani fidei vlla ratione detractum volumus; ſed cùm eorum teſtimonia literaſúe minimè viderimus, iis non putamus plenam fidem adhibendam eſſe, quibuſcum nobis eſt diſputatio, qui facilè ſimilia obiiciunt ſcribantq́;.*

Cùm

Cùm hæc legerem miratus fui 68
potuiſſe in virum doctum cadere, vt
ſperaret hæc habitura fidem apud
viros cordatos, quæ tam facilè poſ-
ſent redargui, præſertim ſi quis vel
tenuem habuerit notitiam eo-
rum quæ hîc Louanij publicè in o-
culis Vniuerſitatis geſta ſunt. Cùm
enim abhinc annis circiter qua-
tuordecim aut quindecim hæc cõ-
trouerſia inter ipſos & noſtros fer-
uentiſſimè in publicis diſputationi-
bus agitaretur, & tam ab Auctore
illius diſſertationis, quàm ab eius
Collegis noſtra ſententia ſępiùs op-
pugnaretur; illa teſtimonia fuerunt
illis ſæpiùs obiecta; quàm facile
tunc illi fuiſſet adire aut aliquem ex
noſtris, aut Eximium D. Iacobum
Baium tunc Louanij exiſtentem, ad
quem Illuſtriſſimus Armacanus et-
iam ſuum teſtimonium miſerat; v-
numque ex dictis teſtimonijs pete-
re, illudque inſpicere ac examinare?
quàm facilè fuiſſet literis ad Illu-
ſtriſſimum Armacanum, aut ad ali-

quem ex ſuis ſcriptis de rei veritate inquirere? Si ita optet vel probabilem illius teſtimonij nanciſci coniecturam, cur certiſſima argumenta, ita prompta, ita obuia, ita in medio poſita, arripere negligit?

69 Sed videamus quæ ſequuntur: *Omni ſanè tergiuerſatione aut interpretatione reiecta, quæ noſtris inſolens eſt*, &c. Si hæc vera ſunt, ſi ea ex animo dicit, cur (ſicut ſuprà n.12. oſtendi) vt decreta Iulij & Cæleſtini ſuo ſenſu interpretetur, facit hæc quædam continere, quæ nulla probabilitate ex ijs poſſunt colligi? cur ipſe in hac diſſertatione pag.64. ita contendit vt apparentem aliquam epiſtol. 91. S. Leonis interpretationẽ ſuæ ſententiæ non repugnantem reperiat? cur eam prout verba ſonant, ſine tergiuerſatione ac interpretatione prompto animo non ſuſcipit? cur in eadem pag.65. qua illud promittit, conatur reſponſum Clement. VIII. interpretari, vt egerit ſolùm de moribundo qui præſente ſacerdote ſigna

gna contritionis dederit, quibus generatim ſe peccaſſe fateretur? Cur deinde ſubdit? *Quidquid verò ſit, non reſpondit Pontifex ex Sede, neque ſua illa reſponſione voluit, quod certum firmúmque haberi debeat, definire: ſed priuatim rogatus, neque ſatis explicata quæſtione, priuatim vt particularis Doctor reſpondit.* Ego ſanè non video quomodo hæc conſiſtant cum illa ſumma animi promptitudine atque affectu ſine vlla tergiuerſatione aut interpretatione amplectendi Pontificis reſponſum, ſi vel probabilem eius haberet coniecturam.

Dicet fortaſſe, ſe ibi egiſſe de re- 70
ſponſo non priuatim, ſed ex Sede &
in concilio Cardinalium dato. Sed
hæc non ſatisfacere quiuis facilè
perſpiciet, maximè ſi legerit quæ
dico tomo 2. de Sacramentis diſp. 7.
dub. 10. n. 105. quibus ipſe hîc conatur
reſpõdere: hoc enim loco apertè
ſignifico, eiuſmodi reſpõſum priuatim,
non autem ex cathedra datum
quod etiam clariſſimum eſt

vel ex ipſa obiectione quam ipſe pag. 10. ex dicto meo loco format.

71 Quamuis autem Pontifex priuatim interrogatus hoc reſponſum dederit, nec per id vt Pontifex aliquid cui omnes teneantur aſſentiri definire intenderit; firmiſſimè tamen probat, id quod eo probare præcipuè intendimus, ſcilicet illum caſum ipſius decreto, nullo modo comprehendi; ipſe enim optimè mentem ſuam, ſiue quid illo ſuo decreto damnare intenderit, ſcire potuit.

Vt autem tam Auctorem illius diſſertationis, quàm alios leuem labore quærendi teſtimonium Illuſtriſſimi D. Armacani, eius recèns Româ ad me miſſi, eiuſque ſigillo & ſubſcriptione muniti exemplar his attexam. In quo ipſe etiam teſtatur ſe olim id alio ſcripto teſtàtum eſſe. ſed literæ quas hac de re tam Eximio Domino Iacobo Baio, quã P. Leonardo Leſſio dederat, eorum morte perierunt, nec eas reperire poſtea

poſtea potui, quare nouum ab eodẽ teſtimoniũ fui coactus impetrare; quod ijſdem verbis deſcriptum hîc curaui poni, paratus ipſum autographum cuicunq; petenti exhibere.

Exemplar teſtimonij Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Armacani.

Caſus circa decretum Clementis Papæ VIII. de Sacramentali confeſſione & abſolutione non facienda in abſentia.

OCcurrente caſu, quo quiſpiam, etiamſi tunc demum, quando videt ſe in periculo vitæ conſtitutum, declarat ſiue voce, ſiue ſcripto, ſiue alio quocunq; ſigno exteriore ſe velle ſacramentaliter confiteri: ſi ſuperueniens poſtea confeſſarius reperiat eum magnitudine periculi in quod incidit ita aggrauatum, vt, licet adhuc ſpiret, tamen nec confeſſionem facere poſſit, nec in præſentia ipſius dare

vllam ſignificationem voluntatis confitendi, quam antea declarauit ſe habere. Quæritur an poſſit nihilominus eundem confeſſarius ſacramentaliter abſoluere.

Pro ſolutione iſtius caſus, quæ & conformis planè ſit antiquis Canonibus, & nominatim doctrinæ S. Leonis Magni epiſtola 91. ad Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum, & pariter in nullo diſſentiat à decreto quo Clemens VIII. prohibuit & damnauit hanc propoſitionem: *Licere per literas ſeu internuncium confeſſario abſenti ſacramẽtaliter confiteri, & ab eodẽ abſente abſolutionẽ obtinere:* Obſeruandum eſt eſſe res diſtinctas confeſſionẽ ſacramentalẽ, & voluntatem ſeu votum aut deſiderium ſacramentaliter confitendi, id eſt, confeſſionẽ eiuſmodi reipſa factam vel attentatam, & tantùm in voto ſeu deſiderio habitam.

Rurſum votum ſeu deſiderium ita confitendi poſſe eſſe vel internũ tantùm, quod proinde ſolius Dei iudicio ſit ſubiectum; vel exteriùs et-

etiam ſignis declaratum, per quæ innoteſcat confeſſario, eum qui abſoluendus eſt, eiuſmodi deſiderium ſeu votum habere; ſiue illa ſigna ſint exhibita in præſentia ipſius confeſſarij, ita vt ab ipſo audita ſint vel viſa, ſiue in ipſius abſentia, ita vt non niſi per teſtimonium aliorum qui audierunt vel viderunt, notitiam de illis acceperit.

Quamobrem ſunt etiam diſtinctæ quæſtiones, quarum vna proponebatur: *Vtrùm liceat per literas ſeu internunciũ confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri.* Altera adhuc quæritur: *An, quando aliquis in abſentia confeſſarÿ declarauit aliquo ſigno exteriori ſe velle ſacramentaliter confiteri, ſi ſuperueniens confeſſarius eum inueniat ita conſtitutum, vt non tantùm non valeat peccati vllius confeſſionẽ facere, ſed nec illius ſuæ voluntatis ſignum aliquod in præſentia ipſius exhibere poſſit nihilominus ex notitia per teſtimoniũ aliorum accepta de ſigno ante aduẽtum ſuum exhibito eum ſacramentaliter abſoluere.*

Quæ

Quæ cùm ita ſe habeāt, Clemens VIII. decreto ſuo meritò damnauit ac prohibuit quod in priori quæſtione proponebatur, ſcilicet: *Licere per literas ſeu internuncium confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri*, hoc nimirum ſenſu, vt ſic facta confeſſio cenſenda ſit Sacramentalis. eaque damnatio ac prohibitio conformis eſt doctrinæ Concilij Tridentini, in qua traditur quòd Chriſtus Dominus eos, qui ſe poſt baptiſmum crimine aliquo contaminauerint, ante tribunal Sacramenti pœnitentię tanquam reos ſiſti voluit.

Sed quoad poſteriorem quæſtionem, cùm non tantùm ſit certiſſimū Clementem Pontificem non intendiſſe damnare ſeu prohibere quòd quiſpiam per literas ſeu internunciū confeſſario abſenti declaret ſe velle ei confiteri, ideoque eum accerſat, vt præſenti confiteatur; ſed etiam mihi ſemper fuerit perſuaſiſſimum, quòd incidente caſu qui in quæſtione illa exprimitur, confeſſarius ſu-

per-

perueniens poſſit ac debeat eũm ſacramentaliter abſoluere iuxta antiquos canones,& nominatim iuxta doctrinam S. Leonis Papæ in citata ſua decretali, in qua quòd agat de ſacramentali abſolutione etiam intellexit S. Thomas 3.p.q.84.a.3.ad 2. Hoc ipſum priuatim communicaui Clementi Pontifici, idque poſtquam in officio Sanctæ Inquiſitionis improbata eſſet interpretatio ſui decreti à Theologo quodam facta, tanquam non eſſet in eo damnata ac prohibita vtraque diuiſim pars propoſitæ quęſtionis: *Ac reſpondit mihi ſua Sanctitas, non fuiſſe ſibi propoſitum damnare ſeu prohibere quòd abſolutio ſacramentalis impendatur incidente caſu expreſſo in poſteriore illa quæſtione.* Sic teſtor anno 1624. 6. Iunij, vti adhuc feci ante annos aliquot:

Petrus Lombardus Archiepiſcopus Armacanus, Primas regni Hiberniæ.

Digitized by Google

DVBIVM.

Vtrùm Sacramenti Matrimonij Miniſter ſit ſacerdos, an verò contrahentes.

1 QVidam neoterici putãt huius Sacramẽti miniſtrum eſſe ſacerdotẽ ei aſſiſtentem, eiuſq; verba eſſe illius formam: atq; adeò matrimonium clandeſtinũ nunquam fuiſſe verum Sacramentum, ſed contractum merè ciuilem. Ita Canus li. 8. de Locis Theolog. c. 5. Eſtius in 4. d. 26. §. 10. & 11. & ex illo Siluius in Supplementũ D. Tho. q. 42. a. 1. q. 1.

Probant Primò, quia omnium aliorum Sacramentorum miniſter, ſaltem extra caſum neceſſitatis, neceſſariò eſt Eccleſiaſticus, ergo & matrimonij.

Secundò, quia, ſicut aliud eſt pœnitentia, aliud Sacramentum pœnitentiæ; ita aliud eſt matrimonium, aliud Sacramentũ matrimonij, cuius miniſter ſit ſolus Eccleſiaſticus.

Ter-

Tertiò, quia Florentinum docet, omnia Sacramenta perfici rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis cum intentione faciendi quod facit Eccleſia. Vnde ſequitur, ad Sacramentum neceſſariò requiri Primò; vt Eccleſia per miniſtrum conferat Sacramentum, & conſequenter; vt ipſe id faciat tanquam miniſter Eccleſiæ. Secundò, miniſtrum huius Sacramenti non poſſe eſſe laicum; quia hic non eſt miniſter Eccleſiæ. Tertiò, vt vtatur verbis propriè dictis pro formâ; & conſequenter contrahentes matrimonium non eſſe huius miniſtros, quia non neceſſariò vtuntur verbis propriè dictis.

Probatur Quartò, quia Sacramēta propriè dicta ſunt ſacrę cæremoniæ; ergo eorum miniſter debet eſſe Eccleſiaſticus.

Quintò; ſoli miniſtri Eccleſiæ ad hoc ordinantur, vt Sacramenta miniſtrent; ergo ad eos ſolos hoc ſpectat. G Sex-

Digitized by Google

Sextò, quia in alijs Sacramentis nequit eſſe idem conferens, & ſuſcipiens; ergo nec in hoc.

Septimò, alia Sacramenta pro forma neceſſariò habēt verba propriè dicta; ergo & hoc.

Octauò, in alijs Sacramentis eſt vnicus miniſter; ergo & in hoc.

Nonò, contrahentes, præſertim clàm, vt fiebat ante Tridentinum, neſciunt ſe eſſe miniſtros Eccleſiæ, aut debere habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia, aut ſuſcipiendi Sacramentum; ergo hæc non intendunt, & conſequenter nec conficiunt Sacramentum.

Decimò, abſurdum eſt à collatione alicuius Sacramenti generatim excludi ſacerdotes & Epiſcopos; ergo abſurdum eſt matrimonij miniſtros eſſe contrahentes.

Vndecimò, 1. ad Cor. 14 non permittitur mulieri in Eccleſia loqui; ergo minùs ei permittitur conferre Sacramentum.

Duodecimò, Chriſtus ſummus

ſacerdos in Cana Galilææ hoc Sacramentum inſtituens nuptijs benedixit; ergo hoc non pertinet ad laicos, ſed ad ſacerdotes, vt per eos benedictionis gratia conferatur.

Decimotertiò, abſurdum eſt laicum eſſe miniſtrum Sacramenti, & ſacerdotem ſolùm benedictionis acceſſoriæ.

Decimoquartò, olim clàm contrahentes non putabant ſe eſſe ſacrilegos, ſi in peccato mortali contraherent; ergo non ſuſcipiebant Sacramentum.

Decimoquintò, Concilium Mechlinienſe, & quędam alia iuxta decretum Trident. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matrimonij, iubent Parochũ, poſtquam ſponſi mutuum conſenſum coram eo expreſſerunt, dicere: *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris*, &c. ergo Parochus coniungit eos in matrimonio, quatenus eſt Sacramentum, aliàs ea verba eſſent falſa.

Decimoſextò, quia Synodi Ca-

meracenſis,& Colonienſis c.40. & in ſuo Enchiridio vocant ſacerdotes benedicentes nupturas miniſtros huius Sacramenti.

Decimoſeptimò, Rituale Rom. iuſſu Pauli V. editum in præfatione ait: *Cæterùm illorum tantùm Sacramentorum, quorum adminiſtratio ad Parochos pertinet, ritus in hoc opere præſcribuntur: cuiuſmodi ſunt Baptiſmus, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema vnctio, Matrimoniū.* ergo cenſet Parochum eſſe miniſtrum Sacramenti Matrimonij.

Decimooctauò, quia ante Tridentinum ſponſi quandoque conſenſum ſuum exprimebant per copulam,& per eam contrahebant,& conſequenter hæc tunc fuiſſet pars Sacramenti: atqui hoc abſurdum eſt; cùm illa tunc, ſicut alia clandeſtina matrimonia,fuerit prohibita, & graue peccatum;ergo,&c.

Decimononò,quia in fine Concilij Conſtantienſis Martinus V.iubet ſuſpectos de hæreſi interrogari, an

cre-

credant, quòd Chriſtianus contēnens ſuſceptionem Sacramentorũ Cõfirmationis, vel Extremæ vnctionis, vel ſolennizationis Matrimonij, peccent mortaliter. Item Alexander III. c. *Cùm Eccleſia*, de ſimonia, ait: horribile eſſe, quòd pro ſepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu alijs Sacramentis aliquid requiratur; ergo cenſent benedictionem nuptiarum eſſe Sacramentum.

Vigeſimò, quia ea videtur ſententia antiquorum Patrum. nam Euariſtus Papa epiſtola 1. docet coniugia inita ſine ſacerdotis benedictione non eſſe coniugia, ſed adulteria; ergo ſentit illam eſſe de eſſentia matrimonij. Item Tertull. lib. 2. ad Vxorem in fine docet, illud matrimonium eſſe Eccleſiæ Sacramentum, quod Eccleſia conciliat, ſcilicet per ſuum miniſtrum. S. Ambroſ. epiſt. 70. docet coniugium debere ſanctificari benedictione ſacerdotis. Innocentius epiſt. 9. ad Probum 2

docet, matrimonium fundari in diuina gratia, quando celebratur. Celebrari autem non dicitur, niſi quando ſolenniter more Eccleſiæ contrahitur. Item Concilium Carthag. IV. docet, ſponſos à ſacerdote benedicendos; & pro benedictionis reuerentiâ debere primâ nocte in virginitate permanere. Quod nequit intelligi de benedictione accidentali, quia illa benedictio iubetur omnibus nuptijs conferri, hæc ſolùm primis confertur, & cùm ſit tantùm ſacramentale, non exigit tantam reuerentiam.

3 Vigeſimoprimò, probatur auctoritate antiquorum Scholaſticorum. Nam D. Thomas lib. 4. contra Gentes c. 78. & in 4. d. 1. q. 1. a. 3. ad 5. & 2. 2. q. 100 a. 3. in fine, docet matrimonium per miniſtros Eccleſiæ diſpenſari, & ea quæ populo per miniſtros Eccleſiæ diſpenſantur, dici Sacramenta. Item pro matrimonio non poſſe dari pecuniam, quatenus eſt Sacramentum, ideoque pro bene-

ne-

Digitized by Google

nedictione nuptiarum prohiberi dari pecuniam. Item Guilielm. Pariſienſis l. de Sacramentis, tractatu de Matrim.c.9.q.1. negat matrimonium veri nominis Sacramentum eſſe, niſi ſacerdotis miniſterio fuerit conſecratum. Hinc Bañez in 1. p.q.1. a.8.in fine docet, Magiſtrum, D.Thomam, Scotum & alios hanc difficultarem ſub dubio reliquiſſe: vnde ſaltem patet contrariam ſententiam non fuiſſe conſtanter ab antiquis Theologis aſſertam.

Sed hæc ſententia non videtur poſſe defendi. Primò, quia exceptis paucis neotericis, repugnat communi ſententiæ omnium Theologorum, dicentium formam huius Sacramenti eſſe verba contrahentium, vt docet Bellarminus lib.1.de Matrim.cap.7.& Sanchius lib 2.de Matrim. diſp.5. & 6. Hinc Sotus in 4.d.26.q.2.a.3. circa medium, teſtatur ante ſua tempora neminem ex ijs qui ſua typis mandarant, contrarium docuiſſe: quod etiam ex refu- 4

tatione obiectorum patebit.

5 Secundò, quia Concilium Florentin. in literis vnionis generatim definit matrimonium nouæ legis eſſe verum Sacramentum, nec vel leuiter inſinuat ad hoc requiri, vt contrahatur coram ſacerdote, aut ab eo benedicatur, aut à ſuâ deciſione excipienda eſſe matrimonia aliter contracta. Confirmatur, quia cùm in explicatione ceterorum Sacramentorum diſtinctè expoſuiſſet eorum miniſtrum, materiam, & formam; tandem de hoc Sacramēto agens: *Septimum*, inquit, *Sacramētum eſt matrimonij, quod eſt ſignum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ ſecundùm Apoſtolum. Cauſa efficiens matrimonij regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*. Vbi cùm, vt patet ex ijs quæ de alijs Sacramentis dixit, intendat explicare eſſentialiter ad hoc Sacramentum requiſita, hoc ipſo quo ſolùm recenſet conſenſum contrahentium per verba de præſenti expreſſum, nullâ

nullâ factâ mentione benedictionis ſacerdotalis, cenſet hanc ad huius Sacramenti eſſentiam non requiri, ſed eam conſiſtere in ſolo dicto conſenſu ita expreſſo: aliàs manca omnino & imperfecta fuiſſet Concilij doctrina, imò multis fuiſſet iuſta occaſio errandi, meritò credentibus Concilium, ſicut in præcedentibus, ita in hoc Sacramento intendere ea proponere quæ ei eſſentialia ſunt.

Nec refert, quòd dicat dictum conſenſum eſſe cauſam efficientem matrimonij: hoc enim dicit, quia eſt cauſa efficiens vinculi ipſius matrimonij, quod etiam dicitur matrimonium. Vbi Nota, Concilium hæc verba vno atque altero ad maiorem explicationẽ addito deſumpſiſſe ex D. Thoma in 4. d. 28. a. 3. §. *Sed contra*. vbi ipſe ex eo quòd in matrimonio clandeſtino reperiatur mutuus contrahentium conſenſus per verba de præſenti expreſſus, infert ipſum eſſe verum Sacramentũ. 6

Deinde ibidẽ in corpore docet, in ijs ſolis totam Sacramẽti matrimonij eſſentiam conſiſtere. Cùm igitur Florentinum eius verba in ſuum decretum voluerit transferre, nemini poteſt videri dubium, quin eius ſententiam approbarit.

7 Probatur Secundò, quia Trident. ſeſſ.24. initio diſſerens de natura & effectibus matrimonij veterum patrum ante Chriſtum, & Chriſtianorum, hanc ſolam inter hæc differẽtiam agnoſcit; quòd hoc gratiam conferat, ac verum ſit Sacramentum, ideoq́ue neceſſariò vnius cum vna, & omnino inſolubile. Et deinde can. 1. generatim & ſine vlla exceptione definit matrimonium, ſcilicet Chriſtianorum, eſſe verum Sacramentum. Et deinde cap. 1. de reform. docet matrimonia clandeſtina olim fuiſſe rata ac vera matrimonia, apertè oſtendens ea contineri ſub ratione matrimonij, quod docuit eſſe Sacramentum. Nec aliter poteſt Concilium intelligi, niſi veli-

Digitized by Google

velimus ipſum non ſolùm imperfectam, ſed omnino diſtortam, dubiam ac æquiuocam de matrimonio ibi tradere doctrinam, vtendo ęquiuocè nomine matrimonij, modò pro contractu merè ciuili conſtante ſolo conſenſu cõtrahentium exteriùs expreſſo, modò pro Sacramento conſtante benedictione ſacerdotali. Item explicans quę Chriſtus addiderit matrimonio veterũ, omiſiſſet partem præcipuam & omnino eſſentialẽ, ſcilicet ſacerdotis benedictionem.

Probatur Tertiò, quia c. *Quanto*, de diuortiis. cùm Pontifex docuiſſet, coniugem ad fidem conuerſam, ſi alter permanens infidelis nolit cum ea ſine iniuria creatoris habitare, poſſe cum alia perſona contrahere; ſecùs tamen eſſe de fideli, cuius coniux à fide ad infidelitatem deficit, ſubdit: *Nam etſi matrimoniũ verum inter infideles exiſtat; non tamẽ eſt ratum: inter fideles autem verum & ratum exiſtit: quia Sacramentum fidei,* 8

quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit coniugij Sacramentum. Vbi docet characterem Baptiſmi indelebilem, ſine quo alia Sacramenta inualidè ſuſcipiuntur, efficere, vt baptizatorum matrimonium ſit ratum Sacramentum; quia nimirum efficit, vt ſit Sacramentũ, & conſequenter ratum, ſine quo tale non eſſet, apertè ſignificans ſola illa eſſe rata, quæ ſunt Sacramenta. Vnde etiam communiter illa ſola matrimonia vocamus rata, quæ ſunt Sacramenta: atqui Trident. ſuprà docet matrimonia fidelium clandeſtina, vbi non ſunt irritata, eſſe matrimonia rata; ergo ſentit eſſe vera Sacramenta.

9 Probatur Quartò, quia Illuſtriſſ. Cardinales à Summo Pontifice dubiis ex Trident. ſuborientibus exponendis præpoſiti, in ſeſſ. 24. c. 1. de reformat. matrim. tam in editione Farinacij quàm Gallemartij §. *Ego vos*, &c. & § *Vel aliis*, expreſſè docent, conſtare matrimonium etſi Pa-

Parochus nihil dicat, & non pertinere ad ſubſtantiam matrimonij, vt hic aliqua verba proferat. Et ne putemus eos ſolùm loqui de matrimonio prout habet rationem contractus. §. *Iuxta receptum*, immediatè ſequente, aiunt: *Quæ verba* (ſcilicet Parochi) *non pertinent ad ſubſtantiam matrimonij Sacramenti* : vbi apertè docent noſtram ſententiam. & cùm Tridentinum debeat intelligi ſecundùm eorum explicationẽ, ſequitur noſtram ſententiam eſſe clarè conformem Tridentino, adeoque omnino certam.

Plura adferunt argumenta Bellarm. & Sanchius ſuprà, ſed hæc videntur mihi ſufficere, vt communem ſententiã clarè probent, præſertim cùm rationes in contrarium allatæ nullius omnino ſint momenti, & plura ſumant apertè falſa, & plurima ex illis, ſi quid probarent, non tam probarent matrimonium ſine ſacerdote contractum non eſſe Sacramentum, quàm eſſe omnino nullum,

nullum, vt patebit ex eorum ſolutione.

10 Ad Primum, nego conſequentiã, quia ſingula Sacramenta habent aliquid ſpeciale, quo ab alijs differunt; & ſimili modo probaretur Sacramentum Ven. Euchariſtiæ non conſiſtere in re permanente, quia reliqua conſiſtunt in actione tranſeunte: Item laicum, & multo magis non baptizatũ, extra caſum neceſſitatis inualidè baptizare. quod apertè falſum eſt.

Ad Secundum, nego aſſumptum, ſcilicet contractum matrimonij inter fideles à Sacramento diſtingui ac ſeparari poſſe: hoc enim probandum eſt, & ſine ratione aſſumitur.

Ad Tertium, nego ſecundam & tertiam conſequentiam. Nam etiam laicus poteſt conferre Sacramentum vt miniſter Eccleſiæ, quia aliàs non poſſet baptizare. Item verba ex mente Concilij non aliter debent cenſeri ad eſſentiam Sacramenti requiri, quàm Cõcilium docet

cet

Digitized by Google

cet ea requiri. quod cùm diſtinctè ſingula explicans ad reliqua requiſiuiſſet determinata verba, & conſequenter propriè dicta; agens de matrimonio apertè docet, ſolùm regulariter ſiue communiter requiri verba propriè dicta, & conſequenter his poſſe ſubſtitui alia ſigna ijs æquiualentia.

Ad Quartum & Quintum, nego conſequentiam: quia aliàs laicus ſaltem extra cáſum neceſſitatis inualidè baptizaret.

Ad Sextũ, Septimũ & Octauum, 11
nego conſequentiam; nam, vt patet ex reſponſione ad 1. eſt apertè nulla. Item ſequeretur, nullum matrimonium eſſe verum Sacramentũ, quia nullum aliud Sacramentum poteſt eſſe vnum in duobus, quod tamen neceſſariò competit matrimonio; cùm enim hoc contrahitur, non duo, ſed vnicum confertur Sacramentum.

Ad Nonum reſpondeo, antecedens in fidelibus bene inſtructis fallere;

Digitized by Google

lere; plurimi enim iſta ſciunt. Sed quidquid de eo ſit, nego conſequẽtiam. Quia aliàs ſequeretur, neſcientes matrimonium eſſe Sacramentum, hoc non ſuſcipere, etſi in facie Eccleſiæ contrahant. Sicut igitur, vt hi validè hoc Sacramentum ſuſcipiant, ſufficit, quòd id implicitè intendant volendo facere quod alij fideles faciunt: ita talis intentio ſufficit, vt ſibi Sacramentum miniſtrent, hoc ipſo enim intendunt facere quod facit Eccleſia, & conſequenter conferre & ſuſcipere Sacramentum.

12 Ad Decimum, nego antecedens, quod eodem iure negatur, quo ſine aliâ probatione ſumitur. Adde, ſpectata præcisè huius Sacramenti inſtitutione & ſacerdotes & Epiſcopos poſſe eſſe miniſtros huius Sacramenti, ſi ipſi contrahant matrimonium, quod ijs iure diuino non eſt prohibitum. Quòd autem ipſi nequeant eſſe miniſtri matrimonij per alios contracti, non eſt magis mirum,

rum, quàm quòd nequeant ſeipſos ſicut alios à peccatis abſoluere; nam ſicut hîc ex inſtitutione Chriſti neceſſariò miniſter diſtinguitur à ſuſcipiente, ita in matrimonio neceſſariò eſt idem.

Ad Vndecimum, reſpondeo ſolam eam locutionem mulieri prohiberi in Eccleſia, qua alios doceat, aut de rebus fidei diſputet. Nam cùm Deo ibi licitè loquitur, ſibi & alijs bona precando, & ſimili modo permittitur ei ibidem contractum matrimonij inire, & conſequenter hoc Sacramentum conficere.

Ad Duodecimũ, reſpondeo Primò, etſi totum concedatur, ſolùm probare ſacerdotis eſſe nuptijs benedicere, & ſponſis gratiam Dei apprecari, ac bene diſpoſitis impetrare, (quod libenter concedo) non autem ipſius eſſe his Sacramentum matrimonij conferre. quod ſolum nego, & nemo non videt ex illo antecedente nullâ probabilitate ſequi, niſi fortè quis ſit tam peregri- 13

nus in rebus fidei aut Scripturæ, vt aut neſciat ſolos baptizatos baptiſmo Chriſti eſſe capaces Sacramẽti matrimonij; aut non legerit Ioannis 3. verſ. 22. Chriſtum diu poſt illas nuptias primùm cœpiſſe baptizare. Quare multò probabilius eſt, Chriſtum non tunc, ſed diu pòſt Sacramentũ matrimonij inſtituiſſe, dum, vt dicitur Matth. 19. v. 4. & 5. matrimonium ad primæuum ſtatum reuocauit abolitis polygamiâ, & libello repudij, vt cum plurimis docet Sanchius lib. 2. de Matrimonio, diſp. 4.

Ad Decimumtertium, nego aſſumptum: nam in eo apertè ſine vlla ratione ſumitur, quod probandum eſt.

14 Ad Decimumquartũ, nego & antecedens generatim ſumptum, & ipſam conſequentiam. Vnde enim aduerſariis conſtat, omnes olim fuiſſe tam rudes, vt neſcirent matrimonium ſacrilegè ſuſcipi in peccato mortali? aut qua probabilitate

ex

ex eo quòd hoc à talibus vulgò fuerit ignoratum, inferas matrimonium non eſſe Sacramentum? certè eadem planè, qua ex eo quòd multi olim clàm contrahebant, inferres, eos exiſtimaſſe id eſſe licitum; ac inde vlteriùs nulla tunc Eccleſiaſtica lege eos fuiſſe prohibitos hoc facere.

Ad Decimumquintum, nego conſequentiam: nec enim verba illa in dicto ſenſu poſſunt eſſe vera, niſi velimus ipſos coniuges non per mutuum conſenſum exteriùs coram Parocho priùs expreſſum, ſed per dicta verba contrahere matrimonium; aut ſaltem nouum vinculum priori ſuperaddi, quo hoc firmius & magis indiſſolubile reddatur, vt alij videntur ſupponere: quorum vtrumque apertè falſum eſt. prius falſum eſſe etiam ipſi concedunt: de ſecundo autem patet. Nam baptizati, qui in loco vbi Trident. non eſt receptum, ſine Parocho contrahunt, & qui vbi id eſt receptum 15

contrahunt coram teſtibus & Parocho nullum verbum pronunciante (quod eos validè facere Cardinales ad id deputati ſæpiùs reſponderunt;) ac demum qui contrahunt coram teſtibus & Parocho ea verba pronuntiante, æquale omnino vinculum, & matrimonium æqualiter indiſſolubile contrahunt. Nullus enim datur caſus, quo vnum ex his matrimonijs poſſit ſolui, & alia non, ſi modò omnia ſint conſummata per carnalem copulam, aut non conſummata. Quare dicta verba Parochi ne ſint falſa, non in ſenſu quem ijs affingunt aduerſarij, ſed metaphoricè intelligēda ſunt, prout alij Doctores ea intelligunt: vt ſcilicet ſignificent Declaro vos legitimè coniunctos, ac nomine Eccleſiæ coniunctionem veſtram approbo, ac publicâ auctoritate eam confirmo: ita vt publicè, & in facie Eccleſiæ ab omnibus firma ac rata inuiolabiliter haberi debeat: ſicut contractus, qui aliàs priuatim vali-

dè

dè fieret, ſi coram magiſtratu ac notario fiat, horum auctoritate confirmatur. Quod maximè locum habet poſt Tridentinum, cùm ſacerdos ſuâ præſentiâ dat firmitatem contractui matrimonij, qui aliàs eſſet inualidus. & hac ratione ſacerdos ei aſſiſtens poteſt dici miniſter matrimonij. Tum etiam ratione ſacrarum cæremoniarum, quæ ei ob reuerētiam Sacramenti adiunguntur, quarum miniſter eſt ſacerdos. Tertiò, quia quatenus matrimonium eſt Sacramētum, ad ſacerdotes pertinet fideles in eo ſuſcipiendo dirigere, & dignos ad id admittere, & indignos ac ineptos arcere, & hac ratione dicuntur id adminiſtrare ac diſpenſare; ſicut dicitur aquam putei diſpenſare, qui volentes haurire ſuo arbitrio admittit aut arcet.

Ad Decimumſextū, reſp. Synodū 16
Colonienſem, eiuſq; Enchiridiū apertè pro nobis facere. Synodi verba dicto c. 49. ſunt hæc: *Quod Sacra-*

Digitized by Google

mentum (ſcilicet matrimonij) *ſi quis, ſicut decet, acceperit, accedente ſacerdotali precatione, confertur donum Spiritus*, &c. Vbi apertè docent, per ſacerdotalem precationem non conferri ſuſceptionem Sacramenti; ſed eam huic accedere: quod falſum eſſet, ſi illa eſſet forma. Ideoque conſultò non dicnt, ſacerdote pronuntiante Sacramenti formam, aut hoc ijs conferente, ſed accedente eius precatione, ſiue illo ijs bene apprecante, conferri ijs donum Spiritus ſancti. quod addunt, vt oſtendant hanc precationem illicitè omitti, & conſequenter eam omittentes eſſe indiſpoſitos vt effectum Sacramenti ſuſcipiant.

17 Similiter Enchiridium Concilij nomine vulgatum in tractatu de matrimonio, §. *Verbum itaque*. docens quæ ſit forma huius Sacramẽti ait: *Verbum itaque huius Sacramenti, quo accedente ad elementum* (id eſt forma ad materiam) *fit Sacramentũ, id nimirum eſt, quo ambo mas & femina,*

na, cum pietatis reſpectu, quæ in Deum eſt, ſibi mutuo fidem coniugalem dant, accipiuntq́, non quouis modo, (id eſt non ſolùm contractu aliquo ciuili ſicut Gentiles) *ſed in Dei nomine* (ſiue Sacramento à Deo inſtituto) *coniunguntur & copulantur.* Deinde addit nihil referre, quâ linguâ coniuges ea verba proferant. Vbi clarè & expreſſè dicitur, verba quibus coniuges ſibi mutuo dant & accipiunt fidem coniugalem, eſſe verbum quo accedente ad elementū fit Sacramentum, ſiue eſſe formam, ex qua ſimul cum materia componitur Sacramentum. Quare non ſatis video, qua ratione hæc illi contra nos citent, ex quibus tam apertè oppugnantur.

Nec pro ijs facit, quòd auctor illius Enchiridij ibidem §. penultim. dicat ſacerdotem matrimonio aſſiſtentem eſſe huius Sacramenti miniſtrum. Hoc enim non ita intelligendum, quaſi hic verè & propriè conferat hoc Sacramentum (nam 18

 ſic

ſic vt minimũ deberet eius formam pronuntiare; quam tamen ille Auctor ſuprà apertè docet pronuntiari à contrahentibus) ſed quia ipſe nomine Dei & Eccleſiæ ſponſos coniungit, ſcilicet eorum coniunctionem approbando, eique publicam auctoritatem dando iuxta dicta in reſponſione ad decimũquintum. Item quia ſacerdos ijs benedicit bona iis apprecando. Quod vel inde etiã patet, quia ille Auctor Enchiridij ibidem dicit, ſacerdotẽ eodem modo iam eſſe miniſtrum Sacramenti matrimonij, ſicut Raguel olim erat miniſter matrimonij Tobiæ & Saræ, eoſque coniungebat. quod non poteſt propriè, ſed ſolùm dicto modo intelligi; cùm enim inter hos non fuerit niſi contractus ciuilis, huius nulli alij potuerunt eſſe propriè miniſtri ſiue cauſæ efficientes, niſi contrahentes. Et ſimili ratione quidam alij dicunt ſacerdotes eſſe miniſtros huius Sacramenti, quatenus nimirum ei dant pu-

Digitized by Google

publicam auctoritatem, eique benedicunt iuxta reſponſa ad decimumquintum.

19 Ad Decimumſeptimum, reſp. ibi Sacramentũ matrimonij numerari inter Sacramenta quorum adminiſtratio pertinet ad Parochum, quia debet contrahentes in eo contrahendo dirigere, eique aſſiſtere, ac contrahentibus benedicere: nec enim ibi diſputabatur, aut erat occaſio declarandi, an Parochus ſit propriè dictus miniſter matrimonij; nec etiam, quia Parochus aliter eſt miniſter aliorum Sacramentorum, aliter matrimonij, ideo debuit hoc illis non annumerari; aut ex eo quòd annumeratur, poteſt vllum probabile argumentum ſumi.

20 Ad Decimumoctauum, nego minorem: nec enim eſt vllum abſurdum, ſi per accidens ob hominum malitiam contingat actionem malam eſſe partem Sacramẽti, vt multis exemplis facilè probari poſſet: & oſtendi tom. 2. de Sacram. diſp. 24. n. 19.

Digitized by Google

n.19. Adde, vix poſſe contingere, &c. vt credo, nunquam fortè contigiſſe, vt aliqui præcisè & ſtrictè loquendo per ipſam copulam cōtraxerint. Cùm enim hanc liberè habitam neceſſariò præcedant vtrimque aliqua ſigna, aut etiam verba, quibus ſibi mutuo ſignificēt ſe in eam conſentire; vix poteſt contingere caſus, in quo ipſa copula ſit ſufficiens ſignum conſenſus in matrimonium, & illa ſigna eam præcedentia non ſint tale ſignum. His autem poſitis matrimonium contractum eſt ante copulam.

21 Ad Decimumnonū, reſpondeo, ſi quid probaret, probaret ſolennem ſponſorum benedictionem eſſe Sacramentum, de hac enim illis locis apertè agitur. Nam hæc vbique in Iure & apud Auctores dicitur ſolēnizatio matrimonij, aut eiuſdem benedictio; vt patet ex Tridentino ſeſſ.24. c.1. de reformatione matrimonij. Vbi cùm dixiſſet Parochum poſt datum & acceptum à ſponſis vtrim-

vtrimque conſenſum in matrimonium, debere dicere; *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris,* &c. ſubiungit, ſponſos hortandos ne ante benedictionem ſacerdotis in templo acceptam ſimul cohabitent: & infrà ſuſpendit ſacerdotem, qui alterius parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia coniungere aut benedicere auſus fuerit, apertè oſtendens hęc diſtingui. Nec credo vllum in Iure locum reperiri poſſe, vbi illa verba ſacerdotis, *Ego vos coniungo*, aut ſimilia vocentur nuptiarum benedictio, aut ſolennizatio. Imò Ius ſæpè apertè inſinuat contrarium, dum non ſolùm, vt iam oſtendi, illa diſtinguit, ſed expreſſè vetat ne ſecundæ nuptiæ benedicantur, aut contractæ tempore Aduentus aut Quadrageſimæ ſolennizentur; cùm tamẽ etiam his iubeat à Parocho aſſiſtẽte adiungi iſta verba, *Ego vos coniungo*, &c. Quòd malè ſine exceptione faceret, ſi crederet illorum verborum pronuntiationẽ

poſſe

poſſe dici nuptiarum benedictionem, aut ſolennizationem. Dictis igitur locis nuptiarum benedictio & ſolennizatio recenſentur cum Sacramentis, non quòd ipſa ſecundùm ſe ſint Sacramenta, ſed quia matrimonium Sacramentum eſt. Adde, ijſdem ibidem annumerari ſepulturam mortuorum, & celebrationem exequiarum; quæ conſtat nullo modo eſſe vera Sacramenta.

22 Ad Vigeſimum, reſpondeo omnes illas auctoritates nō magis probare intentum, quàm probent plura quàm ſeptem eſſe Sacramenta: adeò vt non credam hominem vel mediocriter doctum, qui loca ibi citata attentè perlegerit, poſſe ſibi feriò perſuadere ex ijs pro iſta ſententia vel probabile poſſe ſumi argumentum, vt ex dicendis patebit. Si enim locus ex Euariſto citatus (vt omittam eum apertè loqui de benedictione ſolenni, quæ fiat cum precibus & oblationibus) faceret ad rem, ſequeretur, benedictionem ſacer-

ſacerdotis non tam eſſe de eſſentia Sacramēti, quàm ipſius contractus matrimonij, adeò vt aliter contractum omnino eſſet inualidum. Imò ſequeretur, hoc eſſe inualidum, ſi contraheretur non petitâ veniâ parentum aut tutorum, aut ſine dote, &c. quæ ſaluâ fide dici nequeunt. Dicitur ergo ibidem aliter contractum non eſſe matrimonium, ſed adulterium quoad forum externū, in quo non probatur legitimum. Et hoc ſenſu, vt ſuprà monui, ſacerdos aſſiſtens dicitur ſponſos coniungere matrimonio, quatenus huic publicam auctoritatem præbet.

Verba Tertulliani ſunt hæc: *Vnde ſufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio?* &c. Quæ quid faciant ad rem præſentem, aut vbi in iis habeatur nomen Sacramenti; videant, qui hoc illis addiderunt. S. Ambroſius in epiſtola illa 70. agit contra fideles, qui cum infidelibus matrimonia contrahunt, ſicut et- 23

iam

iam Tertullianus ſuprà. Verba autem eius ſunt hæc: *Nam cùm ipſum coniugiū velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari debeat, quomodo poteſt coniugium dici, vbi non eſt fidei concordia?* Inferūt illi: Ergo hæc verba ſacerdotis: *Ego vos coniungo*, &c. ſunt forma huius Sacramenti. relinquunt autem tanquam per ſe notam hanc minorem ſubſumendam: Atqui benedictio nuptiarum iuncta cum velamine ſacerdotali, ſiue cum impoſitione veli, quâ ſponſæ caput olim obnubebatur, aut, vt iam quibuſdam locis fit, impoſitis ſuper ſponſos extremitatibus ſtolæ, eſt pronuntiatio iſtorum verborum: *Ego vos coniungo*, &c. Item nullâ aliâ benedictione, quàm hac, poteſt cōiugium dici ſanctificari: ergo, &c. Sanè ſi hæc minor contra modum loquendi, & auctoritatem communem Iuris & Auctorum, & contra apertam veritatē alicui perſuadeatur, facilè eidem perſuadebitur conſequentia.

Ad

Ad Innocentium, reſpondeo Primò, eum malè citari: verba eius ſunt: *Statuimus fide Catholicâ ſuffragante coniugium illud eſſe, quod erat primitus*, (id eſt priùs, quàm ſecundæ nuptiæ inualidè contraherentur) *fundatum diuina gratia, conuentúque.* Quæ ſi quid probent, probant conuentionem ſiue mutuum conſenſum viri & mulieris eſſe cauſam, cur matrimonium fundetur in diuina gratia, & conſequenter à nobis faciunt. Reſpondeo Secundò, etſi totum eſſet verum, quod illi ſumunt, nullâ probabilitatis ſpecie inde inferri, Ergo illa verba ſacerdotis, *Ego vos coniungo*, &c. ſunt forma Sacramenti matrimonij, quia hæc nihil habent commune cum ſolenni celebratione nuptiarum, vt ſuprà oſtendi. 24

Ad Concilium Carthag. reſpondeo id apertè loqui de benedictione ſolenni, & matrimonio acceſſoria. Primò, quia loquitur de benedictione, ad quam ſponſi à para- 25

nym-

nymphis deducuntur; quod propriè ſolenni conuenit. Secundò, quia, vt oſtendi ſuprà, hæc ſola à Iure & canonibus dicitur benedictio nuptiarum. Tertiò, quia apertè indicat ſe loqui de benedictione, quæ non omnibus nuptijs adhibetur: ait enim, *Sponſi cùm benedicendi ſunt*, &c. fruſtra autem adderet, *cùm*, ſi omnes omnino eſſent benedicendi: viderint ergo alij, vnde probēt, quod vt certum ſumunt, Concilium loqui de benedictione neceſſariò omnibus nuptiis adhibenda. Quòd autem ſponſi iubeantur pro reuerentia benedictionis coniugij vſu ea nocte abſtinere, non eſt mirum, cùm eo tempore vulgò pro ſcelere habitum fuerit vti coniugio eo die quo cryptas Martyrum viſitaſſent; vt ex multis hiſtoriis patet.

26 Ad Vigeſimumprimũ, reſpondeo ex dictis in reſponſione ad decimũquintũ, & ad decimumſextũ, facilè patere, quo ſenſu D. Thomas & quidam alij dicant ſacerdotes eſſe

mi-

Digitized by Google

miniſtros huius Sacramenti, & id diſpenſare: nec plura addenda puto in re clara. Et ſi ij, qui contrarium tuentur, veritatem quærerent, facilè perſpicerent, quid D. Thom. hac de re ſentiat, cùm ipſe mentē ſuam clariſſimè exprimat in 4. d. 26. a. 1. ad 1. vbi ita ait: *Ad primum dicendum, quòd verba, quibus conſenſus matrimonij exprimitur, ſunt forma huius Sacramenti: non autem benedictio ſacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale*. Idem expreſſè repetit diſt. 28. a. 3. in corpore, ac inde concludit matrimonium clandeſtinum eſſe verum Sacramentum. Cumque ſecundo loco obieciſſet ſibi, in Sacramēto Pœnitentiæ actus confitentis eſſe de eſſentia Sacramenti, & tamen hoc non perfici ſine miniſtris Eccleſiæ, idemque videri dicendum de matrimonio; Reſpondet, eſſe diuerſam vtriuſque rationem, atque adeò ſacerdotis benedictionē non eſſe de eſſentia Sacramenti matrimonij. Cùm igitur in his locis, in quibus

Digitized by Google

hanc difficultatem ex profeſſo diſputat, ita clarè ſuam ſententiam exponat; neſcio an alicui viro prudēti poſſint videri veritatis amātes, qui his neglectis eam ex alijs quibuſdam locis, in quibus obiter & obſcurè quædam huc ſpectantia tangit, conantur colligere, & contendunt clara potiùs eſſe interpretanda per obſcura, quàm contrà; ac ſi veritatem, quam oculis clarè inſpicis, coneris coniecturis ex varijs auditis rumuſculis elidere. Adde, ex iam dictis facile eſſe alia D. Thomæ loca ita explicare, vt cum his nullo modo pugnent.

27 Ad Guiliel. Pariſienſem reſpondeo, eum omnino impertinenter citari. Primò, quia ipſe ibi loquitur de benedictione ſolenni, & orationibus, quas ſacerdos tempore ſacrificij ſuper ſponſos recitat, vt patet ex c. 6. circa medium, verſ. *Habet etiam matrimonium.* Vbi docet, hanc ſine neceſſitate omittentes non eſſe habendos cōiuges, ſed fornicarios;

ſo-

ſolennem autem benedictionem ij, contra quos diſputamus, fatentur eſſe accidentalem huic Sacramento. Secundò, quia dicto c. 9. non dicit matrimonium ſine ea benedictione non eſſe verum Sacramentum; ſed apertè contrarium docet, & ſolùm inſinuat non eſſe veri nominis Sacramentum, quando ea benedictio contemnitur. Verba eius ſunt: *Vtrùm autem Sacramentum veri nominis, & ſacramentalis virtutis ſit, ſi præter nuptialem benedictionem, & orationem, quam habere poteſt, contrahatur? verùm certum eſt, quia & ſacrum ſignum eſt, & ſacrans ſiue ſanctificans virtute eſſentiali, ſeu contrarietatis, vt diximus. & forſitã meritò, dummodò nuptialis benedictio non contemnatur* (vt fit quando ex neceſſitate omittitur, quia ſacerdos haberi nequit, vt docet c. 6. ſuprà citato) *ſed virtutem ſacramentalem omnino non habet, nec veri nominis eſt Sacramentum, niſi ſicut diximus*, id eſt, quando non contemnitur benedictio. Vbi

expreſſè docet, matrimoniũ ex virtute, ſiue ratione ſua eſſentiali, qua contrariatur fornicationi, & ſimilibus vetitis voluptatibus, vt initio capitis explicuit, eſſe ſignum ſacrũ & ſacrans ſiue ſanctificans; in quibus apertè conſiſtit eſſentia Sacramenti. Addit verò, *dummodo nuptialis benedictio*, &c. quia cùm hanc cõtemnentes ponant obicem gratiæ, matrimonium non eſt in ijs ſignum actu ſanctificans; & conſequenter non exercet in ijs ſacramentalem virtutem. Et ob hanc cauſam negat in ijs eſſe veri nominis Sacramentum, quia ratione obicis non exercet in ijs virtutem Sacramenti, atque ita videtur ea carere.

28 Ad Bañez, qui 1. p. q. 1. a. 8. dub. vlt. in reſponſ. ad 3. docet, Magiſtrũ, D. Thomam, & Scotum in hac difficultate hęſiſſe dubios, Reſpondeo eum apertè falli: nam hi omnes apertè docẽt, conſenſum coniugum per verba de præſenti expreſſum eſſe formam huius Sacramenti, nec vllibi

Digitized by Google

vllibi inſinuant ſe de hoc dubitare. De D. Thoma patet ex dictis. de Magiſtro patet ex 4.d.28.§. *Præmiſſæ autem.* vbi ait: *In huius autem Sacramenti celebratione, ſicut in aliis, quædam ſunt pertinentia ad ſubſtantiam Sacramenti, vt conſenſus de præſenti* (ſcilicet exteriùs expreſſus) *qui ſolus ſufficit ad contrahendum matrimonium: quædam verò pertinent ad decorem & ſolennitatem Sacramenti, vt parentum traditio, & ſacerdotum benedictio*, &c. Quæ verba clarè, & ſine dubitatione exprimunt quid ſenſerit, & donec clarè probetur dubitaſſe, malè ei imponitur. Similiter Scotus in 4. d. 26. q. vnica §. *Sed hîc eſt dubium*, expreſſè docet, formam huius Sacramenti eſſe verba, quibus contrahentes conſenſum de præſenti exprimunt: ipſoſque eum ita exprimentes eſſe miniſtros Sacramenti, nec vllibi inſinuat ſe de hoc dubitare. Sed ſolùm videtur dubitare, vtrùm quæuis verba aut ſigna ſufficientia ad contractum, ſufficiant ad

Sacramentum: & vtrùm parentes, dum contrahunt pro liberis, ſint miniſtri Sacramenti. quæ nihil iuuant ſententiam quam oppugnamus.

29 Ex quibus patet, communem omnium antiquorum Scholaſticorũ fixam fuiſſe ſententiam, verba contrahentium exprimentia conſenſum de præſenti eſſe formam huius Sacramenti, & ipſos ea proferentes eſſe huius Sacramenti miniſtros, nec vllum antiquum poſſe citari, qui contrarium ſenſerit. Secundò ſententiam, quam oppugnamus, neque ex auctoritate, neque ex ratione poſſe vllum certum habere fundamentũ, quo aliquis prudenter moueatur, vt à communi ſententia recedat, vt patet ex refutatione obiectorum. Tertiò, eam videri ſatis apertè repugnare Tridentino & Florentino ſuprà citatis, vt oſtendi. Adeoque expreſſè repugnare ſenſui Eccleſiæ Romanæ, quam, prȩſertim in explicando Triden-

dentino, repræſentant Cardinales huic muneri præpoſiti: qui, vt patet ex eorum verbis ſuprà citatis, expreſſè definiuerunt, verba Parochi, quæ alij volunt eſſe formam huius Sacramenti, non pertinere ad huius ſubſtantiam. Quartò, eam non videri probabilem. hinc Soto in 4. d. 26. q. 2. art. 3. poſt medium ait: *Hanc autem opinionem* (quam ſcilicet iam oppugnamus) *quia ſingularis eſſet, nullum arbitror hactenus habuiſſe aſſertorem, ſed diſputatorem. Nam præterquam quòd nemo eorum, qui hucuſque ſcripſerunt, eius meminerit, non apparet quemadmodum ſit ſuſtentabilis*. Vnde vlteriùs infert Bellarminus lib. 1. de Matrim. cap. 7. *aut Cani opinionem falſam eſſe, aut certè totam Eccleſiam in re grauiſſima multis ſæculis erraſſe*. quod deinde fusè probat.

DVBIVM.

Quâ ratione ſoluatur Matrimonium infidelium per conuerſionem alterius ad fidem.

1 NOta Primò, inter infideles, ſi aliud impedimentũ non ſubſit, eſſe verum matrimonium, vt patet 1. Corin. 7. vbi Apoſtolus coniugem ad fidem conuerſum hortatur manere cum coniuge infideli, ſi hic conſentit ei cohabitare: quod non liceret, ſi non eſſet verum matrimonium. Eſtque omnino indiſſolubile quamdiu manent infideles, vt definitur c. *Gaudemus*. 8. de diuortiis.

Inter infideles eſt verum matrimoniũ

1. *Cor*. 7.

Omnino indiſſolubile dũ infideles ſunt.

c. *Gaudemus*.

2 Nota Secundò, Auctorem variè diſputare, vtrùm coniux conuerſus ad fidẽ liberè poſſit manere in matrimonio cũm altero nolente ſe conuertere, conſentiente tamen pacificè ei cohabitare, aut etiam ab eo diſcedere prout libuerit, vt patet ex D. Thoma in 4. d. 39. q. vnica a. 3.

D. *Thomas*.

Du-

Durando ibidem q.2. Soto q. vnica a. 3. & 4. Candelabro aureo 1. p. de matrimonio,n.221. Henriquez li.11. c.15.n.12.Sanchez li.7. diſp.73. n.10. & 11.Plurimi autem diſtinguunt tria tempora, aiuntque 600. primis annis naſcentis Eccleſiæ, quo tempore multi ex infidelibus & facilè conuertebantur, ita vt communiter ſpes eſſet infidelẽ per fidelem conuertendum, & gratia etiam dabatur amplior, & feruor fidelium erat maior, ita vt his non eſſet periculum ne ab infidelibus peruerterentur; fuiſſe cõſilium fidelem coniugem cum infideli permanere, quamdiu erat aliqua ſpes conuerſionis: quamuis etiam liberum erat diſcedere, niſi fortè ex diſceſſu potuiſſet inter Gentiles oriri graue ſcandalum. Et hanc ſententiam abſolutè docet D. Augu. li. 1. de Adulter. coniug. ca.13 & 18. & apertè colligitur ex Apoſtolo ſuprà.

Durandus. Sotus. Candelabr. aureum. Henriqu. Sanchez.

Poterat olim cõuerſus cõiux cohabitare pacifico infideli.

D. Auguſt.

Secundum tempus fuit vnius atque alterius ſeculi ſequentis, quibus

conuerſis licuit ſimiliter manere cum alijs infidelibus, qui tunc adhuc ſæpè conuertebantur; non tamen cum Iudæis qui erant omnino obſtinati. Vnde Toletanum IV. c. 61. iubet Iudæos habentes Chriſtianas mulieres, niſi ab Epiſcopo admoniti conuertantur, ab his ſeparandos eſſe.

Toletan. IV.

Tertio verò tempore poſtea ſequente volunt omnino illicitum fuiſſe, & iam eſſe, fideli conuerſo manere cum infideli, niſi ſtatim conuertatur. quia iam ferè maius eſt periculum ne fidelis peruertatur. Quod videtur etiã praxis multis locis & DD. auctoritas probare, quamvis certa lege ſtatutũ non ſit.

Negant Doctores hoc iam licitè fieri.

3 Crediderim tamẽ cum D. Thoma in 4. d. 39. q. vnica a. 3. in corpore id limitandum eſſe, niſi eſſet probabilis ſpes conuerſionis alterius coniugis, nec crederetur fideli imminere periculum. quia ſuadet illud hoc caſu Apoſtolus: nec vlla abſoluta prohibitio in contrarium poteſt

D. Thom.

teſt adferri. quia Concilium Tole-tan. eſt Concilium particulare: nec præcipit coniugem conuerſum ſtatim ab alio diſcedere; ſed iubet eum ſeparari, ſi infidelis ab Epiſcopo monitus nolit conuerti. quod officium & arbitrium iudicis requirit. Et hanc limitatione͂ veriſſimam credo in locis vbi infideles incipiu͂t conuerti, & infidelibus Principibus ſubiecti ſunt. Tunc enim facilè ex diſceſſu poſſet oriri turbatio; ſi infideles conquererentur prætextu religionis ſibi vxores eripi. Et videmus hoc etiam in Iaponia & India ſeruari. *Toletan.* In regionibus tamen infidelibus ſubiectis id licitè fit.

Concl. I. Si infidelis nolit cum coniuge co͂uerſo habitare, aut non niſi cum contumelia creatoris, aut pertrahendo eum ad peccatum; poteſt hic iam baptizatus eum deſerere & nouum matrimonium inire. Ita definitum eſt c. *Quanto*. 7. & c. *Gaudemus*. 8. de diuortiis. & patet apertè ex 1. ad Corint. 7. vbi dicitur: *Iis autē qui matrimonio coniuncti ſunt, pra-* 4 *c. Quanto. c. Gaudem. 1. Corint. 7.*

præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere (niſi ſcilicet iuſta cauſſa interceſſerit :) *quòd ſi diſceſſerit* (iuſtâ aliquâ cauſſâ intercedente , nam hanc diſceſſionem ibi Apoſtolus permittit , cùm tamen priorem vetuerit, vt bene notat D. Auguſt. l. 1. de Adulterinis coniugiis c. 3.) *manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. Nam ceteris* (ſcilicet quando ambo non ſunt fideles) *ego dico, non Dominus : ſi quis frater vxorem habeat infidelem , & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* & infrà: *Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat. non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in huiuſmodi.* Vbi

D. Auguſt.

5 Nota Primò, quod de fidelibus dicit Dominum præcipere ne alter ab altero diſcedat, aut diſcedentem (ex iuſta ſcilicet cauſſa) manere cælibẽ; contrà abſolutè dicit, Dominum non pręcipere ne fidelis ab infideli diſcedat, nullâ factâ mentione, quòd diſcedens debeat manere

cæ-

Digitized by Google

cælebs : clarè inſinuans, hoc non eſſe neceſſarium.

Secundò, quod dicit fratrem vel ſororem non eſſe ſeruituti ſubiectos in huiuſmodi. Eſſent autem ſubiecti ſeruituti ſi manerēt obligati vinculo matrimonij. De hac enim ſeruitute Apoſtolus loquitur, cùm alia non ſit.

Dices, ideo dici non eſſe ſubiectos ſeruituti, quia non tenentur alteri ampliùs cohabitare. Sed hoc non ſufficit. quia etſi ipſe diſcedens etiam eſſet fidelis, alter tamen non teneretur ei cohabitare: quia nemo tenetur inuito aut fugienti cohabitare. Et ſic nullum eſſet diſcrimen inter eiuſmodi coniuges, & duos fideles. quod apertè repugnat verbis & intentioni Apoſtoli. 6

Et in hanc ſententiā omnes DD. consentiunt. Dubitant tamen de caſu quo infidelis nollet ſe conuertere, vellet tamen pacificè habitare cum fideli. Multi enim dicunt tunc poſſe quidem fidelem diuertere ab al- 7

altero quoad torum; non tamen cum alio contrahere. Ratio eorum
c. Gaudemus. eſt, quia c. *Gaudemus*. 8. de diuortiis, dicitur conuerſus ad fidem numquam coniuge vouente poſſe aliam ducere, niſi illa renuat cohabitare cum ipſo: aut ſi conſentiat, non tamen ſine contumelia creatoris; vel vt eum pertrahat ad peccatū mortale. Vt autem infidelis dicatur nolle cohabitare fideli ſine contumelia creatoris, illi DD. requirunt, vt contumelias in Christum, aut fidem noſtram coram fideli iactet.
Durand. Paludan. Richard. Ita Durandus in 4. d. 39. q. 2. Palud. q. 1. a. 2. Richard. a. 2. q. 2. & alij.

8 Alij tamen docent, hoc quidem verum fuiſſe in primitiua Eccleſia, quando fideli licebat infideli pacificè agenti cohabitare. Nunc autem quando id non licet, poſſe fidelem cum alio contrahere, hoc ipſo quo alter monitus non vult ſe conuertere. Quia hoc ipſo quo eligit cohabitationem fideli illicitam, cenſetur ab hoc diſcedere. Ita Soto
Soto. l in

in 4.d.29.a.4.verſ.*Eſt tamen hic*.Lopez 2.p.inſtruct.cap.53. de matrim. verſ.*Circa illum articulum*. Et alij. Lopez.

9 Quæ ob Doctorum auctoritatem probabilia ſunt, ſed non congruunt ita textui Apoſtoli, qui docet abſolutè ex conceſſione Chriſti poſſe fidelem diſcedere, hoc ipſo quo alter non vult conuerti. Et quidem etiam in eo caſu quo ipſe tunc ſuadebat ei cohabitationem, qui non erat alius, quàm quando infidelis volebat pacificè cohabitare alteri, eamque diſceſſionem intelligit abſolutè etiam quoad vinculum, vt oſtendi ſuprà. Secundò, quia Apoſtolus non dicit fidelem habere aliam poteſtatẽ diſcedendi quando alter diſcedit, aliam verò quando ille tantùm renuit cõuerti: ſed tantùm dicit in ſecundo caſu conſultum eſſe non diſcedere: ergo ſi in primo caſu loquatur de ſeparatione etiam quoad vinculum, etiam in ſecundo caſu ita intelligendus erit, quia Apoſtolus non aliter diſtinguit

inter vtramque diſceſſionem, niſi quòd in vno caſu ſit neceſſaria; in alio diſſuadenda. Et ita intelligit Apoſtolum D. Auguſt. li. 1. de Adulter. coniug. c. 13. & 18. qui inter hos duos caſus non aliter, quàm vt dixi, diſtinguit. Ita Bellarmin. lib. de matrim. c. 12. ad 2. in fine.

D. Auguſt.

Bellarm.

10 Nec obſtat c. *Gaudemus*, citatum, quia Pontifex ibi pro eodem ſumit coniugem velle cohabitare manendo in ſua infidelitate, & id velle cum contumelia creatoris: quia velle in infidelitate permanere, Dei contumelia eſt; præſertim quòd talis vel exemplo filios ad infidelitatem facilè pertrahet, vel ſaltem erit indignum, infidelem & hoſtem Dei fidelibus liberis dominari. Vnde hos duos caſus, ſcilicet infidelem velle ſe conuertere, & nolle cohabitare fideli ſine iniuria creatoris, aut ab eo diſcedere, ponit tanquã duo membra adæquatè genus diuidentia.

c. Gaudem.

Nolens ſe ad fidem conuertere, cum aliqua iniuria creatoris coniugi fideli cohabitat.

11 Confirmatur, quia niſi Chriſtus cõceſſiſſet coniugi conuerſo facultatem

tatem

Digitized by Google

tatem ab altero nolente conuerti diſcedendi etiam eo caſu, quo vellet ei pacificè & ſine alia creatoris contumelia cohabitare; nec Eccleſiæ lege, nec conſuetudine poſſet cõuerſus obligari à tali coniuge diſcedere, aliudque matrimonium inire: quia hoc apertè repugnaret legi diuinæ, quæ iubet vinculum matrimonij eſſe perpetuum, vt patet Matth. 19. cui nec lex Eccleſiaſtica, nec cõſuetudo derogare poteſt. Cùm tamen Theologi communiter doceant, conuerſum etiam eo caſu non poſſe iam ſaltem regulariter cum nolente conuerti permanere, & poſſe poſt diſceſſum aliud matrimonium inire.

Contra dicta quidam obiiciunt, 12
illa verba Apoſtoli, *Nam ceteris ego dico, non Dominus*, non eſſe connectenda cum ſequentibus, ſed cum præcedentibus, ita vt *ceteris* referat virgines & viduas, quibus v. 8. ſuaſit caſtitatem, vt ſenſus ſit: Iam dicta non ego, ſed Dominus præcipit

coniugatis: nam cæteris, id eſt non coniugatis, ego dico (ſcilicet vt permaneant) non Dominus. Probant Primò, quia poſt dicta verba in correctioribus exemplaribus habetur punctum, quo ſignificatur ea non connecti cum ſequentibus. Secundò, quia, ſi Apoſtolus intendiſſet ſenſum ſuprà allatum, mirum eſſet quòd eum non clariùs explicuerit, cùm facilè id facere potuiſſet.

13 Sed hæc patiuntur difficultatem, Primò, quia non apparet quid ſignificet ibi verbum, *dico*. Nam vel ſignificat *præcipio*; & tunc falſum eſt; quia Apoſtolus non præcipit innuptis, vt ſic permaneant. vel ſignificat *ſuadeo*; & tunc falſum eſt Dominũ hoc ijs non dicere; quia Matth. 19. apertiſſimè omnibus ſuadet continentiam.

14 Sed dices hunc eſſe ſenſum: *Ceteris ego dico* (id eſt ſuadeo continentiam) *non Dominus*, ſcilicet pręcipit. Sed hic modus loquendi eſſet duriſſimus, & ab vſitato alieniſſimus,

nec

nec credo aut in Scriptura aut in alijs probatis auctoribus ſimilem reperiri. Confirmatur, quia poſt verba quæ Apoſtolus habet hîc v. 10. *Iis autem qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus*; omnes ſubintelligunt, *præcipit*: & ſi quis vellet ſubintelligi, *ſuadet*, ac ſi Apoſtolus vellet dicere, Ego hoc iis non præcipio, ſed Dominus ijs ſuadet; omnes eum vt inſulſum exploderent; & tamen ſecundùm alios v. 12. eſſet omnino ſimilis phraſis: ergo ſicut in priore loco non debet ſubintelligi, Suadet, ſed Præcipit, ita etiam in ſecundo.

Secundò, quia ſic illa verba: *Nam ceteris ego dico, non Dominus*, deberēt 15
coniungi cum v. 11. nam cum ſuperioribus ſenſum conſtituerent, & verſus 12. deberet incipere ab ijs verbis, *ſi quis frater*, &c. nam hîc inciperet omnino noua oratio, & cum ſuperioribus nullo modo connexa, cùm tamē omnia exemplaria contrarium habeant.

Digitized by Google

16 Ad Primam probationem alterius ſententiæ, reſpondeo plurima exemplaria tam Græca, quàm Latina non ponere ibi punctum, & inter cętera Biblia Plantiniana Regia in Græco, Latino & Syriaco textu: & illa quæ ibi ponunt punctũ, cùm illa verba coniungant cum verſu duodecimo, non autem cum vndecimo, apertè oſtendunt ea connectenda cum ſequentibus, non autem cum præcedentibus: adeoque plus nobis fauent quàm aliis.

17 Ad Secundã, reſpond. Primò, non eſſe mirum ſi Apoſtolus ibi loquatur minùs clarè quàm potuiſſet; cùm id pluribus locis accidat. Secundò reſpon. ſecundùm explicationem aliorum eum multo obſcuriùs & contra communem modum loqui, vt ſuprà oſtendi. Reſp. Tertiò, ſi conſulamus textum Græcum, noſtram explicationem videri omnino planam & facilem. vbi enim nos habemus: *Nam ceteris ego dico,* &c. Græca habent: τοῖς δὲ λοιποῖς

ἐγὼ

ἐγὼ λέγω, &c. Reliquis verò ego di-
co, &c.

Vbi Nota, tria fuiſſe hominũ ge- 18
nera, quibus circa matrimonium
eiuſque vſum poterat aliquid ſua-
dere aut præcipere. Primi erant ſo-
luti matrimonio, ſcilicet virgines
& viduæ. Secundi, fideles coniu-
gati. Tertii, fideles coniugati cum
infidelibus. De primis egerat v. 8. &
9. de ſecundis v. 3. 4. 5. 6. 10. & 11. re-
ſtabant tertij, de quibus v. 12. agens
dicit: *Reliquis verò* (ſcilicet de qui-
bus hactenus non egi) *ego dico, non
Dominus*. Quia ſcilicet iis aliquid
ſuadebat (ſcilicet ne coniux fidelis
ab infideli volente ſecum pacificè
habitare, diſcederet) aut, vt alij vo-
lunt, pro illo tempore præcipiebat,
quod Dominus per ſe nec præce-
perat, nec ſuaſerat; eò quòd pro di-
uerſo fidelium ſtatu, diuerſo tem-
pore aut etiã loco, aliud atq; aliud
in hac re ſuaderi aut præcipi cõue-
niebat, ideoq; Chriſtus (cuius præ-
cepta & conſilia conueniebat eſſe

perpetua & vniuerſalia) id ſuis Apoſtolis eorumq́; ſucceſſoribus ſtatuendum reliquit. & hac ratione videtur mihi ille locus clarè & ſine contorſione explicari.

His adde, etſi initio huius capitis ſolùm expreſſè dicantur Corinthij conſuluiſſe Apoſtolum de virginibus: ex eo tamen quòd Apoſtolus ibi tam diſtinctè agat de triplici genere dictorum hominum, ſatis colligi eum de triplici hoc genere fuiſſe conſultum: atque ita epiſtolæ ſenſus Corinthijs fuit clariſſimus.

19 Conclvs. II. Coniux conuerſus ad fidem non poteſt tranſire ad ſecundas nuptias, niſi priùs ei moraliter conſtiterit alterum eſſe obſtinatum in ſua perfidia. Patet, quia hoc priuilegium tantùm ei conceditur, ne cogatur aut manere cælebs, aut infideli cum magna indecentia, & fortè ſuo & prolium periculo cohabitare. vt patet ex dictis: atqui nihil horum ſequitur, quando alter paratus eſt conuerti; ergo tunc

tunc alias nuptias non poteſt contrahere.

Vnde ſequitur, teneri eum priùs alterum monere & inuitare ad fidem; quia aliàs communiter non poteſt ipſi conſtare de alterius pertinacia. Excipe tamen caſum quo aut aliunde de hac ſatis conſtaret, aut quo hæc monitio eſſet valdè difficilis; tunc enim excuſaretur morali quadam impoſſibilitate. Patet ex motu proprio Pij V. quem citat P. Sanchez lib. 7. diſp. 74. n. 13. in quo definit, Indos Occidentales ad fidem conuerſos, qui ſcire non poterant quid actum eſſet de coniuge quem infidelẽ reliquerant, poſſe manere in coniugio quod interim contraxerant.

Coniux ante diuortium tenetur coniugem inuitare ad fidem.

Pius V. Sanchez.

Hinc ſequitur, infideli petenti certum tempus ad deliberandum de conuerſione, id debere concedi: quia hoc rationabile eſt, nec antè poteſt conſtare eum eſſe pertinacẽ. Non tamen requiritur, vt per Eccleſiæ ſententiam declaretur eſſe 20

 per-

pertinax; ſed ſufficit aliâ viâ id conſtare, quia hoc priuilegium à Deo, non autem per Eccleſiam eſt conſtitutum. Ita Abbas c. *Gaudemus.* num. 15. *Abbas.*

Quod autem dixi de matrimonio coniugis conuerſi, idem dicendum eſt de ingreſſu Religionis, & de ſuſceptione Ordinis ſacri: quia per hæc alter ſpoliatur ſuo iure, quia coniux legitimè profeſſus, aut ſacris initiatus, non eſt poſtea alteri conuerſo reſtituendus.

21 CONCLVS. III. Prius matrimonium omnino ſoluitur hoc ipſo, quo fidelis legitimè ſecundum init. Per ſe patet, quia iam fieri nequit vt vnus habeat ſimul duas vxores, aut vna duos maritos. Antequam tamẽ fidelis inierit ſecundum matrimonium, prius non ſoluitur, vt patet ex dictis. Quia c. *Gaudem.* de diuortiis, expreſſè dicitur coniugem fidelem teneri alterum poſtea conuerſum, antequam ipſe legitimum inierit matrimoniũ, recipere. Cuius nulla *c. Gaudem.*

alia

alia eſt ratio, quàm quia prius matrimonium antè non ſoluitur.

Dices, Nemo poteſt ſecundum matrimonium inire, niſi prius antè ſit ſolutum. Reſpondeo, ſufficere vt per ſecundum contractum prior ſoluatur; ſicut ſoluitur matrimonium ratum per profeſſionem.

Sotus in 4. d. 39. a. 4. dub. 3. cum pluribus alijs aſſerit, eodem modo hoc matrimonium ſolui per profeſſionem conuerſi in Religione approbata. Quia matrimoniū ratum eſt fortius vinculum, quàm matrimonium infidelium (quia hoc per illud ſoluitur, vt patet ex dictis:) ergo cùm profeſſio ſoluat illud matrimonium, multò magis hoc ſoluet. Quod enim vincit vincentem, vincit victum: vt patet l. *de Acceſſionibus*. 14. *ff*. de diuerſis temporan. præſcriptionibus. Eſtque hæc ſententia probabilis ob Doctorum auctoritatem. 22 *Sotus.* Matrimoniū fidelis cum infideli ſolui per huius profeſſionē multi aſſerunt. *l. de Acceſſionibus.*

Sed fundamēta eius debilia ſunt. Primò, quia nullo iure nituntur. 23 Sed non probant.

 Se-

Digitized by Google

In particularibus priuilegiis non valet argumentum à ſimili aut maiore.

Lesſius.

Sanchez.

Secundò, quia in ſingularibus priuilegiis, quæ à iure communi exorbitant, non eſt argumentandum à ſimili vel fortiore, vt docet cum alijs P. Leonardus de Iuſtit. ca. 15. dub. 4. n. 28. & patet in hac etiam materia: quia, vt cum alijs docet P. Sanchez li. 7. diſp. 76. n. 3. & 7. fidelis non poteſt ingredi Religionẽ non monito infideli: imò etſi legitimè ingreſſus ſit, tenetur egredi, ſi ante profeſſionem alter cõuertatur: ad quæ tamẽ non obligat matrimonium ratum. Vnde ſequitur, non omnem obligationem quam ingreſſus in Religionem ſoluit in matrimonio rato, ſoluere etiam in matrimonio infidelium: & conſequenter hoc in aliquibus fortiùs illo ligat. Lex autem *De acceſſionibus*. citata loquitur in caſibus iuris ordinarij, imò ipſius naturæ: quando ſcilicet in vtroque eadem ratio militat, ideoque ab vno ad alium eſt bona cõſequentia.

24 Quòd autem profeſſio in Religione ſoluat matrimonium ratum, non

habet

habet ex natura ſua, vt oſtēdi n. 37. ſed ex ſingulari Dei conceſſione ac Eccleſiæ lege. Adde, totam rationem illius priuilegij, quo matrimonium conuerſi ſoluit id quod priùs inierat cum infideli, eſſe, vt conuerſio non ſit oneroſa conuerſo, ſi cogatur cælibem vitam ducere, aut alteri moleſtè cohabitare. Quæ ratio tota ceſſat quando hic profitetur in Religione, ita vt hoc caſu tale priuilegium cederet in fauorem ſolius obſtinati, ad quem conceſſio non ſpectat. Quare hanc ſententiam tuetur cum alijs Abulenſis 1. Reg. 8. q. 68. & 74. eamque veriorem credo. *Abulenſis.*

25 Hinc ſequitur, non ſatis probari quod docet Nauarrus l. 3 conſil. tit. de conuerſione infidelium, conſil. 3. aliàs conſilio 1. ad 2. dubit. ſcilicet Pontificem poſſe diſpenſare in matrimonio conſummato infidelium poſt vtriuſque baptiſmum ante copulam poſt baptiſmum habitam. quod nullo modo credo, quia nulla ratione probatur: hoc enim matrimo-

Nauar. Non rectè quidam aſſerunt Papam poſſe diſpenſare in matrimonio conuerſorū ad fidem.

monium tunc eſt verè matrimoniũ fidelium conſummatum, quod omnino inſolubile eſt. Nec ad hoc requiritur vt à formaliter fidelibus conſummetur. hoc enim nullo iure aut ratione probatur: maximè cũ, vt patet ex dictis, & omnes fatentur, hoc caſu illud matrimonium non ſoluatur per Religionis ingreſſum.

26 Sequitur Secundò, minùs probabile eſſe quod aliqui docent quos citat & refutat Sanchez lib. 7. diſp. 76. n. 11. ſcilicet matrimonium infidelium ſolui ſi conuerſus ſuſcipiat ſacros Ordines: quia hoc nullo fundamento probatur.

Sanchez.

Infidelis poſt coniugis conuerſi matrimoniũ validè ſecũdò contrahit, non tamen licitè.

Sequitur Tertiò, antequam fidelis ſecundò contrahat, infidelem inualidè ſecundò contrahere, quia ipſe non poteſt ſoluere prius matrimonium: licitè tamen id facit poſtquam fidelis ſecundò contraxit, quia tunc matrimonium omnino ſolutum eſt. idemque iuxta ſententiam citatam nu. 22. dicendum eſt,

eſt,ſi hic profiteatur in Religione. Quod autem aliqui dicunt,infideli nihilominus in pœnam prohiberi ſecundas nuptias,ſine fundamento dicunt.

Nota demum,ſiue pater,ſiue ma- 27
ter conuertatur, altero in infidelitate permanente, in fauorem fidei proles nondum doli capaces ſequi debere fidelem; ne ab infideli peruertantur:ſi verò iam ratione vtantur,ſuo arbitrio eſſe relinquendas, quia nemo ad fidem cogendus eſt. Ita communiter Doctores ex Toletano IV. c. 55. & 61. & cap. finali,de conuerſ.infidelium.

Proles doli incapaces ſequuntur parentem conuerſum.

Tolet.IV. c.fin.de conuerſ.infidel.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA
IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

6- 4